



CONGREGATIO GENERALIS LXII

7 novembris 1963

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Ss. Concilii*:

Moderabitur disceptationem circa cap. I *de episcopis et de dioecessione regimine*, in hac 62 congregazione generali, em.mus ac rev.mus D. card. Gregorius Petrus Agagianian.

Antequam legam nomina eorum qui verba facere postulaverunt circa hoc cap. I, communico Patribus nuntium, non tristem mortis, sed laetum longae vitae, nempe: sabbato proximo complebit centum et unum annos exc.mus D. Alfonsus Carinci. [Plausus].

Sabbato vespere, nempe hora 16,30, pro hoc anniversario, celebrabitur sollempne *Te Deum* in ecclesia S. Mariae ad Quercum (Santa Maria della Quercia), quae sita est in *Piazza della Quercia*, prope arcem Campi Flora, vel *Piazza Farnese*. Est ecclesia sita in illis locis, parva ecclesia sed pulchra. Omnes Patres humanissime invitantur.

Praesidentia em.ma proponit ut venerando confratri mittatur hic nuntius telegraphicus: « Exc.mo Alfonso Carinci. Tibi Fratri dilectissimo, qui centum et unum annos feliciter compleps, Patres Concilii universi cuncta bona ominantur, adhuc longiorem vitam invocant, Deoque tecum gratias agunt quod ager tuus, Deipara praestite, centenos dederit uberrimosque fructus ». [Plausus].

Nunc lego nomina eorum, qui loqui postulaverunt circa cap. I schematis *de episcopis*: em.mus ac rev.mus D. card. Ioseph Ritter, arch. S. Ludovici in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; sua Beat. Ignatius Petrus XVI Batanian, Patriarcha Ciliciae Armenorum; exc.mi DD. Hermenegildus Florit, arch. Florentinus in Italia, Ioseph Souto, ep. Palentinus in Hispania, Paulus Gouyon, arch. coad. Rhedonensis in Gallia, Petrus Kalwa, ep. Lublinensis in Polonia, Fidelis García, ep. tit. Sululitanus in Hispania, Audenus McCann, arch. Capetownensis in Africa Meridionali, Michaël Browne, ep. Galviensis in Hibernia, Antonius Ferreira, ep. Portugallensis in Lusitania, Sergius Méndez, ep. Cuenavacensis in Mexico, Herculanus Van der Burgt, arch. Pontianakensis in Indonesia, Ignatius Ziadé, arch. Maronitarum Berytensis in Libano, Aurelius Del Pino, ep. Illerdensis in Hispania, Franciscus Mazzieri, ep. Ndolaënsis in Rhodesia Septemtrionali, Ioseph Attipetty, arch. Verapo-



litanus in India, Paulus Barrachina, ep. Oriolensis in Hispania, Eduardus Mason, vic. ap. de « El Obeid » in Sudan.

Moderator: Venerabiles Patres, em.mus card. Iulius Döpfner, e coetu moderatorum, leget nunc relationem conclusivam disceptationis circa cap. IV schematis *de Ecclesia*: « De vocatione ad sanctitatem ».

EM.MUS P. D. IULIUS CARD. DOEPFNER
Archiepiscopus Monacensis et Frisingensis

Uti meministis, venerabiles Patres, die 31 octobris ii Patres de cap. IV schematis *de Ecclesia* locuti sunt, qui ad normam art. 57, § 6, Ordinis Concilii, post disceptationem clausam nomine saltem quinque Patrum verbum petierunt. In fine illius congregationis generalis,* annuntiavi interventus, qui adhuc superessent — numerus eorumdem erat 17 — a Moderatoribus examinatum iri ad normam art. 57 § 3 et 4, eo fine ut solummodo unus vel pauci Patres loquerentur et argumenta sua proferrent etiam nomine aliorum, qui similia argumenta propositi fuissent. Quae examinatio propter dies feriales immediate sequentes heri denique fieri potuit, pluribus illorum Patrum in communi reunione praesentibus.

Illi 17 Patres omnes verbo faciendo generose renuntiaverunt eo vel magis, quod iam disceptatio de novo schemate his diebus coepta est. Sed *conventum est*,¹ ut in brevissima relatione heic in aula conciliari ...² nomina eorum necnon praecipuae orationum eorum lineae communica-rentur.

Comprehensivo modo, in his interventionibus duae tendentiae inveniri possunt.

Prima tendentia sustinetur a sequentibus Patribus: em.mus D. card. Laureanus Rugambwa; exc.mus D. Cornelius Lucey, ep. Corcagiensis in Hibernia; Carolus Helmsing, ep. Kansanopolitanus in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis; Ioseph Tawil, arch. tit. Myrensis Melchitarum; Adam Kozłowiecki, arch. Lusakensis in Rhodesia; Ioseph M. Reuss, ep. aux. Moguntinus in Germania.

Hi Patres admittunt structuram capitum, uti iacet, sed proponunt emendationes in evolvenda conceptione sanctitatis. E. g. extollitur unio cum Christo; fusior explicatio sanctitatis pro iis membris Ecclesiae, quae non sunt religiosi; enucleatio sanctitatis quae correspondeat melius S. Scriptuae et Patribus orientalibus; accuratior et plenior evolutio

* Cf. pag. 76.



caritatis; nomenclatura magis adaequata quoad virginitatem Deo dicatam.

Secunda tendentia repraesentatur a sequentibus 11 Patribus: rev.mi PP. Leo Deschâtelets, sup. gen. O.M.I., Gulielmus Van Hees, mag. gen. Ord. S. Cr., P. Athanasius Hage, archimandrita sup. gen. Ord. Basiliani; exc.mus D. Ioannes-Baptista Zoa, arch. Yaundensis in Camerun; rev.mus P. Ioannes Janssens, praep. gen. S. I.; exc.mi DD. Henricus Compagnone, ep. Anagninus in Italia, Iacobus Corboy, ep. Monzensis, Aldo Patroni, ep. Calicutensis in India; rev.mi DD. Sighardus Kleiner, abb. gen. Ord. Cist., Antonius de Hornedo, praef. ap. Missionis S. Francisci Maranon in Peruvia; et ultimus, exc.mus D. Guilly, ep. Georgopolitanus.

Hi Patres movent dubia magis fundamentalia quoad structuram capit. Diversi proponunt caput proprium de religiosis et consequenter commendant, ut elucubratio de sanctitate universalis remandetur in caput « de populo Dei ». Crisi subiciunt explicationem consiliorum evangelicorum in schemate datam et non sufficienter esse explanatam *iudicant*³ specialem vocationem religiosorum atque huius status superioritatem in se consideratam. Nonnulli horum Patrum rogabant, ut dubia sua Patribus conciliaribus, *salem hoc modo*⁴ communicentur.

Ceteroquin omnes hi interventus, uti fieri solet, competenti commissione in scriptis traduntur. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ iis propositum est. ² proferenda. ³ indicant. ⁴ deest.

Moderator: Nunc em.mus card. Michaël Browne, vice-praeses commissionis conciliaris doctrinalis, designatus relator universi schematis *de Ecclesia*, faciet verba conclusiva.

EM.MUS P. D. MICHAËL CARD. BROWNE

Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres,

Revera non exspectabam hodie ut verba deberem facere conclusiva respectu discussionis schematis *de Ecclesia*; habui aliquid praeparatum, sed putavi quod tota res fuisse transacta.

Sed illud quod volui dicere est quod scilicet de omnibus evidenter habebitur ratio in commissione. Praeparavi quoque brevem textum circa aliquam difficultatem quae frequenter prolata fuit in discussionibus respectu sanctitatis cleri, et per relationem ad sanctitatem vitae religiosae.



Et quomodo scil. possunt coarctari omnia ista quae includuntur in doctrina, quod scil. sacerdotes ut tales tenentur ad maiorem sanctitatem quam religiosi. Et tamen, stricte loquendo, non sunt in statu perfectionis, ut ita dicam, dum religiosi sunt in statu, et quandoque sunt in minori gradu perfectionis. Sed nolim loqui sine meis notis, neque necessarium puto, quantum ad hoc. Unde trado ea quae volui dicere ipsi commissioni, ut habeat ipsa illam relationem quam credo esse utilem. Dixi.

Textus scripto traditus:

Quoad cap. IV eandem sollicitudinem habebit commissio *de doctrina fidei et morum* sicuti venerabilibus Patribus promisimus respectu priorum capitum. Plena pro posse habebitur ratio omnium observationum ab eis in aula congregacionum factarum et in scriptis secretariatu traditarum.

Notavi, et quidem cum vera aedificatione, sollicitudinem Patrum circa perfectionem christianam sive clericorum ad Ordines religiosos non pertinentium sive laicorum in saeculo viventium. Haec sollicitudo coniuncta quandoque fuit cum quadam perplexitate circa eorum relationem ad statum religiosum proprie dictum.

Deo adiuvante, conabimur cum auxilio peritorum adhuc melius, si necesse sit, breviter clarificare hanc quaestionem, indicando quomodo v. g. sacerdos saecularis potest ad altam perfectionem pervenire si in praeparatione animae dispositus sit, Deo ita volente, ad viam consiliorum amplectendam.

Consilia enim, seu paupertas, castitas et oboedientia amplexatae sub votis religionis, sunt via melior ad spiritus paupertatem, ad cordis puritatem, ad humilitatem sub Dei manu, quibus anima disponitur ad amorem Dei perfectum. Sed non sunt via unica ad istas animae dispositiones, ut monstratur in vitis plurium sanctorum.

Via ad caritatem perfectam pro iis qui in saeculo degunt est illa intensi cultus, sub Dei gratia, istarum animae dispositionum.

Moderator: Gradus nunc fit ad disceptationem circa cap. I schematis *de episcopis et de dioecesum regimine.*

1

EM.MUS P. D. JOSEPH CARD. RITTER
Archiepiscopus S. Ludovici

Venerabiles Patres,

Loquor in nomine meo et plurimorum ex episcopis Statuum Foederatum Americae Septentrionalis. Emendatio, quam proponimus, valde simplex est; necesse est tamen eius rationes exponere.

In par. 3, linn. 18 ss., dicitur: « Episcopi residentialis iure communi omnes habeant facultates, quas aptius et expeditius eorum ordi-

nariae ac immediatae potestatis exercitium expostulat ». Iure *divino* tamen iurisdictio episcoporum residentialium ordinaria ac immediata omnia quae ad exercitium effectivum requiruntur iam secumfert. Certissime haec iurisdictio solummodo « sub primatu iurisdictionali Romani Pontificis » exercenda est. Sed recolendum est non ipsum Romani Pontificis primatum, sed eiusdem exercitium per legislationem restringere iurisdictionem episcopalem.

Actuales Ecclesiae necessitates, ut ipsum schema agnoscit, expostulant ut potestates episcoporum residentialium in multis materiis amplientur. Huiusmodi amplificatio perficienda est, non per concessiones facultatesque, sicut proponit schema, sed per abrogationem vel derogationem illarum legum quae potestates episcopales restrinxerunt. Non dentur facultates, seu indulta; sed restituantur potestates iuris divini episcopales quae — utique iustis de causis — hucusque ablatae sunt.

Proinde proponimus ut verba cap. I initialia sic mutentur ut dicant: « Censem Sacrosanta Synodus praeopportunam atque animarum bono utilissimam rem se esse facturam si, salvis iuribus ac privilegiis orientalis Ecclesiae, episcopis in posterum restituatur exercitium suae iurisdictionis in multis causis hucusque, iustis de causis, Apostolicae Sedi vel patriarchis orientalibus reservatis ». Ceterum proponimus ut totum caput sic recognoscatur ut huic spiritui ac prospectui fiat conforme.

Venerabiles Patres! Hoc opus esse *perdifficillimum*¹ humiliter admittimus. Hoc opus solummodo in Codicis Iuris Canonici revisione perfectum iri similiter admittimus. Nil minus autem satis erit; nil minus, nostro iudicio, dignum erit ut doctrinam de episcopatu iam acceptam compleat. Certissime ipsum Concilium omnia perficere non poterit. Poterit tamen indicare et etiam enumerare materias in quibus canones cognoscendi erunt ...².

Aliud proponere velim. In hoc autem tantum pro meipso loquor. Titulus huius cap. I, meo iudicio, mutari debet. Rationes, seu relationes, quae exsistunt inter episcopos et Curiam Romanam, non sunt primariae et in se stantes, sed secundariae et derivatae. Exsistit Curia Romana solummodo delegata a Romano Pontifice. Proinde titulus, sicut et caput, de rationibus inter episcopos et Romanum Pontificem primario tractare debet. Deinde propono ut titulus mutetur ad « De rationibus inter episcopos et Romanum Pontificem » vel ad « De rationibus inter episcopos et Apostolicam Sedem ». Dixi.

In *textu scripto tradito*: ¹ perdifficile. ² Dum codicem recognitum expectabimus, Curia Romana concedere poterit facultates, rescripta et indulta, quae libentissime recipiemus.



BEAT.MUS P. D. IGNATIUS PETRUS XVI BATANIAN

Patriarcha Ciliciae Armenorum

Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres conciliares,

Schema decreti de episcopis ac de regimine dioecesum, post suffrageationem generalem, admissum fuit tamquam basis ulterioris disceptationis.

Huic autem disceptationi ponendum est fundamentum dogmaticum super quod statui possint *rationes*¹ episcoporum ad Summum Pontificem, et consequenter ad Sacra Dicasteria, quae nomine et auctoritate eiusdem Summi Pontificis munus suum explet in bonum omnium Ecclesiarum et in servitium Sacrorum Pastorum.

Hoc vero fundamentum ponitur ipsius Christi verbis ad Petrum et Romanum Pontificem, successorem eius: « Pasce agnos meos, pasce oves meas ». Et explicatur in definitione dogmatica Concilii Vatican I asserentis Romanum Pontificem habere « ... plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus quae ad fidem et mores, sed etiam in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent »; potestatem quidem « ordinariam et immediatam in omnes ac singulas Ecclesias, in omnes et singulos pastores et fideles ».

Hoc fundamento posito, clare apparet potestatem istam iurisdictionis Romani Pontificis nulli restrictioni obnoxiam esse *ex iure vel facto humano*.² Ideoque quidquid in posterum de natura iuridica collegii episcopalis, vel de eius potestate in universam Ecclesiam, statuetur, minime coarctare debet exercitium primatialis huius potestatis nec limites ipsi apponere ...³.

Unde ipsius Summi Pontificis est, nullo alio de iure interveniente, se ligere cooperatores et determinare modum et ambitum cooperationis in regimine totius Ecclesiae.

Nobis vero, pastoribus Ecclesiae, competit sincere et obsequenter proponere quae forsitan efficaciora et utiliora nobis viderentur ad bonum Ecclesiae. Attamen, dum hoc facimus ne ansam praebeamus putandi quod Ecclesia, praesenti administrationis modo, reducta sit ad statum lamentabilem.

Cum autem arbor ex fructibus diiudicanda sit, fatendum nobis est Ecclesiam, non obstantibus calamitatibus quae mundum afficiunt, vivere



tempora gloria, consideratis vita christiana cleri et fidelium, propagatione fidei, et salutari eius influxu universalis in mundum.

Hoc quidem obtinetur Dei gratia, certe, necnon tamen benefica actione Capitis eiusque cooperatorum. Hi enim cooperatores, qui sunt praesertim S. Romanae Ecclesiae cardinales, toto ex orbe selecti, constituant Senatum Ecclesiae Romanae, quae « propter potentiores eius principalitatem » ut ait S. Irenaeus, est caput omnium Ecclesiarum. Et hoc quidem titulo cooperatores fiunt Romani Pontificis in regimine universalis Ecclesiae.

Querimonias audivimus, ...⁴ salva bona intentione oratorum, de administratione per cooperatores, et particulari modo per Ss. Congregations Romanas. Fatendum est omnem institutionem humanam defectuosa esse posse; cavendum tamen ne defectus exaggerentur, neque critica attingat ipsum Caput, quod grave detrimentum afferre potest — et iam attulit *per commentaria ephemeredum*⁵ ut refertur — principio auctoritatis et scandali esse populo christiano, quin ullo modo allicet fratres separatos ad fovendum spiritum oecumenicum.

Concludendo, liceat mihi rogare ut in disceptatione schematis:

1. Prae oculis habeatur semper primatus Romani Pontificis, qui minime limitari potest quocumque modo.
2. Obiective et aequo animo procedatur in exprimendis observationibus circa modum actualem administrationis centralis Ecclesiae, ratione habita meritorum cooperatorum Summi Pontificis et obligationis evitandi scandala. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ relations. ² deest. ³ ex iure vel facto humano. ⁴ et quidem acerbas. ⁵ deest.

3

Exc.mus P. D. HERMENEGILDUS FLORIT

Archiepiscopus Florentinus

Venerabiles Patres,

Statim adhaereo quae modo audivi pleno corde. Exc.mus arch. Šepr dixit mihi in Jugoslavia vigere proverbium: « Deus adiuvat semper pro tertia vice ». Vocatus fui ter et nunc ecce quod possum loqui et quidem breviter, et iis quae ego dicturus sum adhaeserunt circa 50 Patres Itali et non-Itali, qui etiam nomina propria subscripserunt.¹

In n. 5, pag. 7, consideratur opera ab episcopis in Curia Romana praestanda. Quocirca, ea videntur statuenda quae activitati communi episcoporum ad bonum totius Ecclesiae inserviendi apprime consentanea sunt.

Quapropter, huiusmodi intuitu, haec quae sequuntur adnotare *mibi*² liceat.

In dicto n. 5, sermo est tantum de episcopis ut membris vel consularibus Ss. Romanae Curiae Congregationum cooptandis. Et hoc bene quidem.

Ulterius tamen tuto procedi potest, ex quo Summum Pontificem Paulum VI in nota allocutione ad Patres Concilii ...³ illa verba audivimus dicentem quae in « relatione » super nostrum schema referuntur in pag. 14. In quibus verbis duo sane attendenda sunt: imprimis intentio manifestatur Summi Pontificis sibi associandi, aliquo modo, episcopatum in gubernio universalis Ecclesiae; secundo, iterata affirmatio fit *a Pontifice*⁴ ut salvae maneant declarationes dogmaticae Concilii Vatican I ad Romanum Pontificem attinentes, iuxta quas de fide tenendum est illum a Christo instructum esse plenitudine et iusta virtute potestatis.

Evidem nos omnes hanc fidem profitemur; at nunc etiam practice nulla ambiguitate eamdem proclamare oportet; nam iuxta illud Iacobi ...⁵, « Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa ».

Attenta igitur mente Summi Pontificis, in suo integro contextu, proponere velim ut congrua de eadem habeatur ratio in nostro schemate.

Quare, post actualem n. 5, novus adiungi posset numerus sub titulo « de S. Congregatione centrali instituenda », hisce additis verbis: « Insuper exoptat sancta Synodus ut nonnulli episcopi, imprimis residentialis, a Romano Pontifice cooptentur in quamdam Congregationem centralem, omnes alias Ss. Congregationes praecellentem. Cuius Congregationis centralis erit Romano Pontifici validam et adiutricem praestare operam in illis ecclesiasticis negotiis quae eidem ab ipso committentur ».

Per additionem horum verborum (uti patet) in praxim datur doctrina qua asseritur episcopos quoddam corpus seu collegium constitutere, vi cuius omnes, cum eorum capite Romano Pontifice, responsabilitate in solidum adstringuntur erga universalem Ecclesiam. Insimul etiam percipiuntur, *venerabiles Patres*,⁶ limites quos ultra progredi non licet in affirmanda solidarietate episcopali in gubernio ordinario Ecclesiae, ne dogma primatus ullum praeciudicium patiatur.

Unde huiusmodi Congregatio centralis, quam instituendam petimus, collegialitatis episcopaloris est concreta applicatio simul et iusta explicatio. Etenim ex una parte ipsa unitatem Ecclesiae plenius ostendere atque catholicitatem clarius manifestare. Ex altera autem parte,

indoles stricte collegialis eidem non competit, cum sive in ordine essendi sive in ordine agendi fine finaliter ab uno Summo Pontifice pendeat...⁷

Huiusmodi propositio nonnullis Patribus, qui etiam per manuum plausus hesterna die collegialitatem episcopalem nimis extollebant, forsan « minimista » appetat.

Sed, venerabiles Patres,⁸ recordari nos oportet esse denique fines quos ultra citraque nequit consistere rectum. Nemini enim licet ad collegialitatem episcopalem sensu stricto provocare, eo usque haec doctrina a Concilio approbata non fuerit. Et pro parte mea puto collegialitatem ita intellectam definibilem non esse.⁹ Pariter non licet quaecumque argumentum deducere ex suffragationibus circa collegialitatem ...¹⁰ die 30 octobris peractis. Nam in praesentatione typis impressa, dicebatur quod « vota Patrum ... unice eo tendunt ut commissio (scil. nostra¹¹ commissio de doctrina fidei et morum) scire possit quae sit propensio congregationis circa propositas quaestiones ».

Propositio igitur nostra, *venerabiles Patres,¹²* est quidem facta cum humili « grano salis », scientes tamen sal esse symbolum sapientiae ac prudentiae.

Venerabiles Patres, meminerimus et nos, quos Dominus vult ut simus sal terrae, verborum ipsius Domini dicentis: « Bonum est sal: quod si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis? Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos » (*Mc.*, 9, 49). Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: ¹ Cap. I huius schematis quaedam continet quibus principia doctrinalia circa episcopos, in cap. II schematis *de Ecclesia* enuntianda, in praxim deducuntur. Nominativi. ² deest. ³ die 29 sept. h. a. ⁴ deest.

⁵ 2, 17. ⁶ deest. ⁷ Votum quoque liceat exprimere, ut in posterum SS. Congregationes Romanae denominationem habeant, quae cuiusque muneri et competentiae aptius respondeat. Hoc fieri poterit, si e. g. singulis applicabitur denominatio singularium actualium commissionum conciliarium; v. g. S. Officium: Congr. de doctrina fidei et morum; Consistorialis: de episcopis et dioecesum regimine; etc. ⁸ Ast. ⁹ deest. ¹⁰ (nimis festinanter). ¹¹ deest.

¹² deest.

Animadversiones additae:

Cap. I huius schematis duo continent quibus principia doctrinalia circa episcopos, in cap. II schematis *de Ecclesia* enuntianda, in praxim deducuntur. Agitur enim de episcoporum facultatibus amplificandis (n. 3, pag. 6), et de relationibus inter episcopos et Curiam Romanam, necnon de opera ab ipsis episcopis in Curia Romana praestanda (nn. 4-5, pag. 7).

Heic igitur statuenda videntur quae sive muneri episcoporum erga Ecclesias

sibi concreditas adimplendo, sive eorum activitati communi ad bonum totius Ecclesiae inservienti, apprime consentanea sunt.

Quapropter, huiusmodi intuitu, haec quae sequuntur adnotare liceat:

I. *Quoad n. 3*, ubi de episcoporum facultatibus. In hoc numero: ex una parte statuitur principium iuxta quod Romanus Pontifex potest, ad libitum suum, aliquas causas sibi reservare. Ex altera autem parte votum exprimitur ut episcopi illas omnes habeant facultates quas aptius et expeditius eorum ordinariae ac immediatae potestatis exercitium expostulat; et consequenter petitur ut facultates hucusque recognitae ulterius amplificantur. Hoc autem idem est ac postulare ut causae a Romano Pontifice sibi reservatae numero minuantur.

Iamvero: diminutio causarum reservatarum ex parte Romani Pontificis haud necessario habet ut correlativum augmentum facultatum episcoporum. Immo, saepe saepius, ea quae obiectum fuerunt reservationis, reservatione papali deinceps sublata, eo ipso fiunt potestates muneri episcopali natura sua inhaerentes. Unde: potiusquam de facultatibus, loquendum est de pleniore exercitio potestatis ordinariae et immediatae qua quisque episcopus iure divino gaudet.

Aliis verbis: permulta quae, in Appendice adscribuntur episcopis, ab eisdem in posterum non vi merae concessionis pontificiae, quasi ex delegatione, at vi ipsius episcopalnis muneric peragentur.

Videtur ergo schema, in hoc punto, ita esse aptandum, ne voci « facultates » indiscriminatim significatio tribuatur alicuius concessionis vel delegationis superioris auctoritatis.

II. *Quoad n. 5*, ubi de opera ab episcopis in Curia Romana praestanda. In hoc numero sermo est tantum de episcopis ut membris vel consultoribus SS. Romanae Curiae Congregationum cooptandis. Et hoc bene quidem. Ulterius tamen tuto procedi potest, ex quo Summum Pontificem Paulum VI in Allocutione ad Patres Concilii die 29 septembribus elapsi, audivimus dicentem: « Hoc namque universale munus, quamvis a Christo instructum sit plenitudine et iusta virtute potestatis, quam quidem scitis, poterit tamen auxilii et praesidii maiores vires sibi adiungere, si dilecti et venerabiles Fratres in episcopatu, modis et rationibus opportune statuendis “ Nobis validorem et suscepti oneris magis conscientiam praestabunt adiutricem operam ” » (ed. Typis Polyglottis Vaticanis 1963, pag. 23).

Et adhuc determinate idem Summus Pontifex suam aperuit mentem in Allocutione ad Curiam Romanam die 21 septembribus, cum aiebat: « Quando il Concilio Ecumenico mostrasse il desiderio di vedere associati in certo modo e per certe questioni, in conformità alla dottrina della Chiesa e alla legge canonica, qualche rappresentante dell’episcopato, particolarmente tra i presuli che dirigono una diocesi, al Capo supremo della Chiesa stessa, nello studio e nella responsabilità del governo ecclesiastico, non sarà certamente la Curia a farvi opposizione » (cf. *Relatio super schema*, pag. 14).

Attenta igitur mente Summi Pontificis de sibi associando, aliquo modo, episcopatu in gubernio universalis Ecclesiae, proponere velim ut congrua de eadem habeatur ratio in nostro schemate.

Quare, post actualem n. 5, novus adiungi posset numerus sub titulo *De sacra Congregatione centrali instituenda*, hisce additis verbis: « Insuper exoptat sancta Synodus ut nonnulli episcopi, imprimis residentialis, a Romano Pontifice cooptentur in quamdam congregationem centralem, omnes alias sacras Congregationes praecellentem. Cuius Congregationis centralis erit Romano Pontifici validam et

adiutricem praestare operam in illis ecclesiasticis negotiis quae eidem ab ipso committentur ».

Per additionem horum verborum (uti patet), denuo in praxim deducitur doctrina qua asseritur episcopos quoddam corpus seu collegium constituere, vi cuius omnes, cum eorum capite Romano Pontifice, responsabilitate in solidum adstringuntur erga universalem Ecclesiam. Insimul etiam percipiuntur limites quos ultra progrederi non licet, in affirmando solidarietate episcopali in gubernio ordinario Ecclesiae, ne dogma primatus ullum praeiudicium patiatur.

Unde huiusmodi Congregatio centralis, quam instituendam petimus, collegialitatis episcopalibus est concreta applicatio simul ac iusta explicatio. Etenim: ex una parte ipsa unitatem Ecclesiae plenius valet ostendere atque catholicitatem clarius manifestare. Ex altera autem parte, indoles stricte collegialis eidem nequaquam competit, cum sive in ordine essendi sive in ordine agendi fine finaliter ab uno Summo Pontifice pendat.

Votum quoque liceat exprimere ut in posterum sacrae Congregationes Romanae denominationem habeant, quae cuiusque muneri et competentiae aptius respondeat. Hoc fieri poterit si, ex. g., singulis applicabitur denominatio singulatum actualium Commissionum Conciliarium; v. g. S. Officium: « Congregatio de Doctrina Fidei et Morum », Consistorialis: « Congregatio de Episcopis et de Dioecesium regimine », etc.

[Subscripserunt:] a) *quoad nn. 3, 4, 5 cap. I:* exc.mi PP. DD. Ugo Camozzo, arch. Pisanus; Macarius Tinti, Fabriano-Matelica; Victorius Cecchi, Fossombrone; Pacificus G. Vanni, arch.; Franciscus Cogoni, ep. Octeriensis; nomine etiam Antonii Angioni, ep. tit. Ipponae; Nicolaus Margiotta, arch. Brindisi; Henricus Nicodemo, arch. Barensis; Raphael Calabria, arch. Benevent.; Iacobus Palombella, arch. Materanensis; O. De Liva; Carolus Zinato, ep. Vicentinus; V. Radicioni, ep. Montalto et Ripatransone; Giovanni Dadone, arch. Fossano; Federico Pezzullo, ep. Pollicastro; Luigi Rinaldi, ep. S. Marco e Bisignano; Dominicus Petroni, ep. Melfi; Henricus Romulus Compagnone, ep. Anagninus; T. V. Benedetti, ep. Laudensis; Egidio Bignamini, arch. Ancona; Clemente Gaddi, Bergamo; Armandus Fares, arch. Catacensis, ep. Squillacen.; Carlo Baldini; Norberto Perini, arch. Fermo; Demetrio Moscato; Franciscus Šeper, arch. Zagabiensis; Ioseph M. Sensi, arch. tit. Sardianus; Robertus Massimiliani, ep. Civit. Castell., Hortan. et Gallesin.; Caietanus Michetti, ep. tit. aux. arch. Firmani; Ioseph Zaffonato, arch. Utinensis.

b) *Quoad n. 5 cap. I:* Andreas Cesarano, arch. Sipontinus; Angelus Rossini, arch. Amalfitanus; Norbertus Perini, arch. Firmanus; Augustus Bertazzoni, arch. Potentinus et Marsicensis; Hector Baranzini, arch. Syracusanus; Guido Tonetti, arch. ep. Cuneensis; Paulus Babini, ep. Foroliviensis; Victorius De Zanche, ep. Concordiensis; Gulielmus Motolese, arch. Tarantinus; Aemilius Giorgi, Montis Politiani; Ioseph Lenotti, ep. Fodianus; Aemilius Baroncelli, ep. Recinetensis-Lauretanus; Caietanus Michetti, aux. Firmanus; Dinus Tomassini, ep. Isclanus; Horatius Semeraro, ep. Cariaten.; Secundus Tagliabue, ep. Anglonensis-Tursiensis; Nicolaus Capasso, ep. Acerrarum; Raphael Pelecchia, ep. Aliphonus; Antonius Cunial, ep. Lucerinus; Siro Silvestri, ep. Fulgin.; Paschalis Quaramba, ep. Gallipolitanus; Lucianus Marcante, ep. Valvensis et Sulmonensis; Giov. Batt. Pardini, ep. Iesi; Lorenzo Basoli, ep. Ogliastru; Luigi Morstabilini, Veroli-Frosinone; Faustino Baldini, ep. Massa Marittima; Mauritius Raspini, ep. Oppidensis;



Antonius Catarella, ep. Platiensis; Marius Di Lieto, ep. Asculan. Apul. et Ceriniolensis; Raphael Baratta, arch. Perusin.; Ioseph Amici, arch. Mutinensis; Marinus Bergonzini, ep. Volaterr.; Abel Conigli, ep. Biturg.; Aloisius Carolus Borromeo, ep. Pisaurensis; Constantinus Caminada; Ioseph Fenocchio, ep. Apuanus.

EXC.MUS P. D. IOSEPH SOUTO VIZOSO
Episcopus Palentinus

Em.mi Praesides, venerabiles Patres conciliares,

De cap. I schematis *de episcopis*, speciatim vero circa introductio-
nem et prooemium collatum cum n. 3, fas sit mihi aliqua verba proferre
in hac congregazione.

I. *Circa introductionem.* Per placet et valde dignum laude censeo
quod a limine proclametur regula suprema, in regimine Ecclesiae Chri-
sti, salus animarum, unde recte derivatur quod in n. 16 exprimitur de op-
portuno auxilio ferendo episcopis qui, ob permanentem valetudinis de-
fectum vel ob ingravescentem aetatem, implendo suo sacro muneri minus
apti evaserint seu inveniantur.

Profecto ad salutem animarum Christus Dominus Ecclesiam insti-
tuit in eaque sacram hierarchiam condidit per quam vita et operositas
salvifica ipsius perpetuaretur in toto orbe terrarum usque ad consum-
mationem saeculi. De hierarchica potestate atque missione apostolis col-
lata nos quidem ex divina praedilectione participes facti sumus, prout SS. D. noster Paulus VI edixit die 29 septembris, nos appellans « agmen
apostolicum ab universo terrarum orbe congregatum » et inquiens in-
super: « Et vos apostoli estis et a collegio apostolico originem ducitis
eiusque veri estis heredes ».

Iamvero cum ex verbis Domini, « cui multum datum est multum
quaeretur ab eo », meminisse nos semper oportet sacrorum antistites,
iuxta verba Pii XII in Encyclica *Mystici Corporis*, esse « eminentiora
universalis Ecclesiae membra, singulari prorsus nexus cum divino totius
corporis capite coniuncta, ideoque partes membrorum Christi primas »,
sicut iam dixerat S. Gregorius Magnus.

Proinde iure meritoque nobis proponitur salus animarum veluti su-
prema regula vitae pastoralis nempe: peregrinare, sicut monuit claris-
simus Paulus in epistola ad Hebreos, « supra gregem Christi quasi ra-
tionem pro animabus reddituri », animamque pro eisdem ponere ad
exemplum magistri, et hanc specificam sanctitatis nostrae viam prosequi



eximiae scilicet sanctitatis, quam apostolus Corinthiis ut excellentiorem demonstravit.

II. *Circa prooemium et n. 3.* Legentibus prooemium cum n. 3 ex priore schematis appendice, ultro prodit in cordibus nostris grati animi sensus erga Summum Pontificem ob magnificam potestatum episcopalium amplificationem, sive concessae dicantur sive recognitae proclamentur, simulque ob novum decorem et facultates quibus etiam episcopi auxiliares donantur. Ita congruenter extollitur dignitas episcopalis, per sacramentalem consecrationem suscepta, qua episcoporum ordini seu collegio adnumerantur, et intimior fovetur consociatio dilectionis et collaborationis omnium episcoporum tam cum suo capite visibili quam inter seipsos.

Ita adimpletum videmus quod Concilium Vaticanum I praenuntiavit, nempe summam auctoritatem Romani Pontificis non officere potestati episcoporum qui in locum apostolorum successerunt, sed eadem potius a summo et universalii pastore asseritur, roboratur et vindicatur.

Attamen in praedicto facultatum elenco, alia desideratur, et quidem, meo iudicio, magni pastoralis momenti, quae iam in prima sessione fuit postulata quamque commissio de sacra Liturgia benevole consideravit et commendare proposuit, concedendi scilicet christifidelibus maiorem facilitatem adimplendi obligationem praecepti festivi indulgendo ut ipsi satisfacere possint per assistentiam sacro in vesperis diei festi celebrato. Adsunt etenim rationes pastorales, sive ex parte fidelium sive ex parte animarum curatorum, nec desunt fundamenta historica et liturgica.

Cum iam secretariae talia argumenta tradiderim, aliquantis per prosequar materiam de cap. I et quidem de n. 3.

Quod attinet ad facultatum amplificationem in hoc numero propositam, sive in favorem episcoporum residentialium sive erga eos qui mere titulares dicuntur, duos audimus et legimus modos loquendi: pro quibusdam agitur de concessione potestatis, pro fere omnibus de simplici permissione exercitii facultatum ex consecratione atque missione ad ipsos sacros antistites pertinentium.

Puto vero quod non minuitur magnanimitas Apostolicae Sedis nec ratio gratissimi animi nostri ex relato dupli modo loquendi. Etenim sublatio ipsa reservationis, quam hucusque vigere scimus ex supra et universalii potestate primatiali successorum B. Petri, ob iustas causas a se competenter existimas, ipsa — dico — sublatio reservationis est favor nobis elargitus, quo scilicet fas nobis erit illas recognitas facultates habitualiter possidere non tantum quoad substantiam rei sed in praxi quantum ad exercitium in bonum regimen dioeceseos, propriae

auctoritatis augmentum coram sacerdotibus et fidelibus nostris et preventum seu utilitatem ipsorum.

Ideo ex S. Sedis benignitate merito exspectatur, una cum multiplici efficaciorique iuvamine sacrorum Dicasteriorum in auxiliandis episcopis in suo pastorali regimine, alacrior observantia et vividior sollicitudo pastorum sacrorum erga Christi Vicarium eiusque Dicasteria et indefessa collaboratio illa quam exquisivit a nobis SS. Dominus noster Paulus VI, in solemni recurrentis sessionis conciliaris instaurazione sic alloquens praedecessorem suum Ioannem XXIII sanctae memoriae: « Tu apostolorum successores coegisti... ut iidem se cum Summo Pontifice veluti in unum corpus redactos sentirent, ab eoque robur acciperent et moderationem: ut sacrum christianae doctrinae depositum efficaciore ratione custodiatur atque proponatur ». Et prosecutus est, inquiens nobis relate ad munus suum papale: « Hoc munus universale poterit auxilii et praesidii maiores vires sibi adiungere, si dilecti et venerabiles fratres in episcopatu, modis et rationibus opportune statuendis, Nobis validiorem et suscepti oneris magis consiam praestabunt adiutricem operam ».

Aliunde, certissime dum propriam dioecesim bene, auxilio divino suffulti, regamus, efficaciter conferemus ad bonum totius Corporis mystici, quod est etiam corpus Ecclesiarum.

Quibus reverenter expositis, votum duplex proponere audeo:

1. Ut Romano Pontifici gratiae maxima reddantur nomine totius episcopatus ob eius supra expressam benignantatem.

2. Ut in elenco facultatum quae habitualiter episcopis concedantur vel recognoscantur, illa quam dixi includatur, nempe indulgendi christifidelibus suis ut ad vesperam praecedentem, ubi Missa vespertina celebretur, anticipare valeant adimpletionem praecepti festivi.

Parcite mihi! Et dixi.

Textus scripto traditus:

Proposito considerationi et discussioni Patrum schemate *de episcopis et dioecesum regimine*, quod quidem cohaeret cum iis quae pertractavimus in cap. II schematis *de Ecclesia*, fas sit mihi aliqua proferre verba circa cap. I, speciatim vero circa introductionem et prooemium ipsius in relatione cum appendice priori eiusdem.

I. *Circa introductionem*. Perplacet et laude dignum duco quod a limine introductionis statuatur tamquam *suprema regula* in regimine Ecclesiae Christi *salus animarum*, unde recte derivatur quod in numero 16 praescribitur de auxilio opportuno ferendo pastoribus qui, ob permanentem valetudinis defectum vel ob ingrauescentem aetatem, implendo sacro suo muneri minus apti evaserint.

Ad salutem animarum profecto Christus Ecclesiam suam condidit et in ea sacram hierarchiam instituit per quam vita atque operositas salvifica Domini per-

petuaretur in toto orbe terrarum usque ad consummationem saeculi. De potestate atque hierarchica missione apostolis collata, ex divina praedilectione atque liberimam electione, participes facti sumus, sicut, in doctrina suorum praedecessorum insistens, proclamavit Ss.mus Dominus noster Paulus VI, nos alloquens die 29 septembbris: « Vos venerabiles Fratres, agmen apostolicum ab universo terrarum orbe congregatum, et ipsi apostoli estis et a collegio apostolico originem ducitis, eiusque veri estis heredes ».

Quia, ex verbis Domini, « cui multum datum est multum quaeretur ab eo », semper in memoria habeamus oportet Sacrorum Antistites, ut Ss.mus Pius XII edixit in Litteris *Mystici Corporis*, esse « *eminentiora universalis Ecclesiae membra*, singulari prorsus nexus coniuncta, ideoque *partes membrorum Christi primas* », prout iam declaraverat S. Gregorius Magnus.

Proinde iure meritoque nobis proponitur salus animarum ut suprema regula vitae pastoralis: pervigilare, ut scripsit apostolus ad hebreos (13, 17), supra gremium, quasi rationem pro animabus reddituri; animam pro eisdem ponere, quia agni et oves Christi sunt, et hanc sanctitatis nostrae prosequi viam, eximiae caritatis, quam Paulus clarissimus corinthiis ut excellentiorem demonstravit.

II. *Circa introductionem.* Legenti priorem schematis appendicem fieri non potest quominus gratitudinis sensus in corde uniuscuiusque prodeat erga Romanum Pontificem ob magnificam potestatum episcopalium amplificationem sive etiam ob novum decorum et facultatum complexum quibus episcopi auxiliares donantur. Ita congruenter extollitur dignitas episcopalnis, per sacramentalem consecrationem suscepta, qua episcoporum ordini seu collegio adnumerantur, et intimior fovetur associatio dilectionis et collaborationis omnium episcoporum cum suo capite visibili etiamque inter seipso.

Sic recte applicare possumus Paulo VI verba Gregorii Magni, cum scripsit: Honor meus est honor universalis Ecclesiae, meus honor est fratum meorum solidus vigor. Tunc ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque non negatur honor debitus.

Ita quoque adimpletum videmus quod Vaticanum I praenuntiavit, nempe summam auctoritatem Romani Pontificis haud officere potestati episcoporum, qui in locum apostolorum successerunt, sed eadem potius a summo et universali pastore asseritur, roboratur ac vindicatur.

Attamen in praedicto facultatum elenco, *una desideratur*, quae est magni momenti pastoralis, quae iam in prima sessione Concilii fuit postulata quamque commissio de sacra Liturgia benevole consideravit et commendare proposuit, concedendi scilicet fidelibus maiorem facilitatem adimplendi obligationem praecepti festivi indulgendo ut ipsi satisfacere possint assistendo Sacro in vesperis diei festi celebrato.

Adsunt rationes pastorales, sive ex parte fidelium sive etiam multoties ex parte animarum curatorum, nec desunt rationes historicae et liturgicae.

A) *Rationes pastorales* sunt praecipue sequentes:

1. Plures sunt christifideles, nostris temporibus, qui laboris necessarii vel itineris perficiendi causa, non possunt, sine gravi saltem incommodo, Missam audire in die festo. Possent autem faciliter in pervigilio eiusdem, ubi Missa vespertina celebratur.

2. Invaluit pluribus in regionibus consuetudo feriandi seu a cotidianis operibus cessandi a meridie sabbati, itemque requiete hebdomadaria fruendi diebus



dominicis longe a suo domicilio, verbi gratia in domo rusticana cum propria familia, vel in locis montanis vel ad ripas maris aut fluminis, ubi facilitas interveniendi Sacro non habetur.

3. Hoc autem magis contigit tempore aestivo et diebus aptioribus ad venerationem et punctionem. Qui his operibus, sive relaxationis gratia sive ad victimum conquirendum indulgent, valde mane, cum solis lux oritur, adesse tenentur in montibus aut prope aquas ad efficacitatem maiorem laboris sui.

4. Etiam pro animarum curatoribus valde proficua esset talis anticipatio, illis praesertim qui ter litare debent in locis multum inter se distantibus vel, tempore hiemali, ubi itinera, propter pluviam, copiosam nivem vel nimium frigorem difficilis, ne dicam quandoque impossibilis, transitus efficiuntur. His in casibus predicti sacerdotes suis populis inservire possent celebrando unam Missam in per vigilio festorum in ecclesia difficultioris accessus et in sequenti die in aliis duobus locis.

B) *Nec desunt rationes historicae et liturgicae:*

- a) Primi christiani vigiliam diei dominicae coluerunt.
- b) In schemate pro Ecclesiis orientalibus praelibatur illa concessio.
- c) Concilia particularia, in saeculis octavo et nono, ita statuerunt, e. g. Foroiuliense et Francofordiense, etiamque Moguntinum, cuius statutum Gratianus et Gregorius IX retulerunt et edixerunt.
- d) Pro indulgentiis quibusdam diebus adnexis, toties quoties, indulxit Sedes Apostolica ut tempus utile ad eas lucrandas incipiat a meridie diei praecedentis.
- e) Et denique, ut omnibus compertum est, Officium divinum dominicarum et sollemniorum festorum incipit similiter a primis vesperis.

Propono ergo:

Primo, ut Romano Pontifici gratiae maxime proferantur nomine omnium episcoporum ob eius magnanimitatem supra expressam.

Secundo, ut in elenco facultatum habitualiter episcopis conferendarum illa quam dixi includatur, indulgendi scilicet fidelibus suis ut ad vesperam praecedentem anticipare valeant adimplectionem praecepti festivi.

5

Exc.MUS P. D. PAULUS GOUYON

Archiepiscopus tit. Pessinuntinus, coad. Rhedonensis

Venerabiles Fratres,

Art. 5 cap. I nostri schematis *de episcopis ac de dioecesum regimine* providet quod « nonnulli episcopi diversarum nationum, a conferentia episcopali designandi, ab Apostolica Sede nominentur membra vel consultores Ss. Romanae Curiae Congregationum ».

De tali ordinatione gaudio afficimur, ex duplii quidem ratione:

1. Quia hoc modo incipit, *incipit dico*,¹ exercitium collegialitatis episcopalnis quae, ut nunc pernotum est, menti Concilii plene respondet...².



2. Et quia bonum Ecclesiae, quoad sanctificationem fidelium, nec non quoad diffusionem Evangelii apud eos, qui Christum Dominum adhuc ignorant, omnino postulat, ut conditiones vitae populorum et eorum indoles perfecte cognoscantur, ut difficultates ministerii ex propria experientia percipientur, ut in decretis statuendis quam cautissime procedatur: hoc autem nequaquam praestare potest unicus organismus coordinationis centralis. E contra, si adsunt in Consiliis Ecclesiae pastores ex omni tribu et lingua et natione, tunc certa scientia omnia ea decerni poterunt, quae aptissime accommodantur adjunctis tam generalibus quam peculiaribus variarum nationum.

Ut autem ordinationes quae hac de re statuuntur, talem scopum obtinere possint, plane oportet, ut mihi videtur, clarus et pressius expondere: 1. Conditiones praecisas in quibus ad proxim deducentur; 2. Ceteras conditiones prorsus necessarias ut efficaces evadantur.

1. Conditiones praecisae in quibus huiusmodi ordinationes in proxim deducendae sunt.

« Nonnulli episcopi, a conferentia episcopali designandi, nominentur membra vel consultores Ss. Romanae Curiae Congregationum ». Etenim conferentiae episcopales quam rectissime diiudicare possunt de eorum capacitate.

Illi episcopi non solum consultores, sed etiam membra nominandi sunt, i. e. cum omnibus iuribus et prerogativis, quibus nunc pollent membra Congregationum Curiae Romanae, ut iam aliunde factum est in commissionibus conciliaribus.

Statis temporibus convocandi sunt, saltem semel vel bis in anno, et ad tempus sufficiens ut labor utilis peragi possit, cura propriarum dioecesum commissa interdum episcopis auxiliariis.

« Ad commune bonum magis promovendum et ad communia pericula efficacius avertenda ». Ut vere dicam, illa pars textus anxietati paulisper ansam praebet. Nonne revera nimis restringit possibilitatem interventus episcoporum penes Congregationes Romanas? Libentius in schemate legeretur: « Ad ea omnia consideranda et solvenda, quae negotia tam extraordinaria quam ordinaria respiciunt, exceptione facta rerum minoris momenti ». Rogo igitur ut tollantur linn. 25-27 pag. 7 inde ab « convocentur », et eis praedictus textus substituatur.

Sed etiam si omnes illae conditiones adamussim adimplentur, timendum est ne labor episcoporum gravissimis difficultatibus obiciatur, si ordinationes de quibus mentio fit in par. 5, non pressius determinantur per alias dispositiones, ut revera efficaces evadant.

*2. Conditiones subsidiariae ut efficaciter hac in re procedatur.*

*Prima conditio.*³ Nunc autem, quoad illos qui in Congregationibus officio funguntur, notanda est necessitas, ut consultores in dignitate episcopali non constituti ex variis nationibus deligantur. Forsan dicet aliquis, hoc iam factum esse. Sed reapse necesse videtur, ut cum peritis qui Romae degunt, adsint et alii qui in propria natione commorenentur. Experientia enim constat, illos qui etiam ad breve tempus longe a sua regione absunt, eius problemata non amplius cognoscunt, illa non plene intelligere possunt, quia non sub eodem respectu ea considerant ac si domi remansissent. Tales consultores possent etiam in proprio loco interrogari, mediante hodierna possibilitate velocissimae communicacionis, vel etiam ad Urbem statis temporibus convocari. Conferentiis episcopalibus competeteret illos designare.

*Secunda conditio.*⁴ Alia ex parte multae oriuntur in Ecclesia quaestiones quae nulli ex singulis Congregationibus competit quaeque a coetu ampliori tractari debent. Immo Romani Pontificis est omnia in unum finem componere. Itaque⁵ opinamur id maxime profuturum esse, si Summus Pontifex Consilio apostolico — aut Congregationi centrali, ut dixit exc.mus D. Florit⁶ — inniti posset, cuius membra episcopi essent a conferentiis episcopalibus designati. Sed iam aliqui hac de re locuti vel locuturi sunt, et quidem maiori cum auctoritate.

Dum haec omnia humillime proponimus, id solum prae oculis habuimus quod Summus Pontifex Paulus VI in sua concione ad membra Congregationum Romanae Curiae, die 21 septembris habita, clare expressit, necnon mentem Concilii Vaticanii II, in scrutinio de collegialitate episcopali patefactam, quae intentionem certe exprimit, ut haec collegialitas in proxim deducatur, et quidem pro summo et unico bono Ecclesiae. Duxi.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² Nihil invenitur, nec in S. Scriptura, nec in doctrina primaevae traditionis, quod restringere possit exercitium collegialitatis ad adjuncta extraordinaria Concilii oecumenici. ³ Episcopi etenim ex

una parte tanquam adiutores sibi adiungent illos, qui iam in Congregationibus operam praestant; et ex altera parte recursum habere debebunt ad arbitrum superiorem, qui eorum cogitata et proposita libenter et benigne perpendet. ^{a).} ⁴ ^{b).}

⁵ ipsa optima decreta ad nihilum reduci possunt, quando ultima decisio subiicitur quibusdam influxibus, etiam ex generosissima intentione inspiratis. Proinde.

⁶ deest.



EXC.MUS P. D. PETRUS KALWA
Episcopus Lublinensis

Interventio haec, nomine episcoporum Poloniae facta, animadversiones continet, quae referuntur ad *a) introductionem*, n. 1; *b) cap. I*, nn. 2, 3, 4, 5.

...¹ Schema decreti *de episcopis ac de dioecesum regimine* indolem habet iuridicam et est applicatio practica principiorum, quae in schemate constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* ...² inveniuntur. Principia *in hac constitutione*³ contenta fontem constituunt unde profluunt normae iuridicae nostri decreti *de episcopis ac de dioecesum regimine* nunc examinandi. In specie vero decretum hoc complectitur normas, quae ab episcopo observari debent in munere suo pastorali adimplendo a Christo Redemptore sibi commisso. Proinde iam in introductione ad decretum de fundamento muneris pastoralis episcopi sermo est, de potestate nempe iurisdictionis, qua praeditus est ipse in sua dioecesi, ut opus salutiferum erga animas sibi concreditas efficaciter exercere possit.

Attamen accuratior definitio potestatis iurisdictionalis episcopi in propria dioecesi non datur, etsi talis definitio eiusdem potestatis iam in constitutione dogmatica Concilii Vaticani I *De Ecclesia Christi*, cap. III, habetur. ...⁴ Dicitur in illa constitutione dogmatica *Vaticani I*⁵ de potestate iurisdictionis episcopalnis ipsam esse ordinariam ac immediatam. ...⁶ Ideo propono ad pleniores definitionem potestatis iurisdictionalis episcopi in sua dioecesi ...⁷, ut in pag. 5, lin. 10, huius de episcopis schematis, post verba « iurisdictionis potestas » inserantur verba complementaria: « immediata ac ordinaria », quae naturam huius potestatis accuratius determinant.

...⁸ Cap. I: *De rationibus inter episcopos et SS. Romanae Curiae Congregationes*, nn. 2, 3, 4, 5.

1. Titulus hic, quem cap. I p[ro]ae se fert non placet, discrepat enim cum constitutione dogmatica *de Ecclesia*, ...⁹ ubi loquitur de relatione Petri ac ceteros apostolos ad instar cuiusdam collegii institutos, cuius collegii Petrus est praefectus. Dicitur item in hac constitutione de episcopis successoribus apostolorum, qui corpus quoddam episcopale formant una cum ...¹⁰ Romano Pontifice, huius corporis capite. Si ita res se habent in parte dogmatica, idem servandum est etiam in parte iuridica. Ideo praefatus titulus potius sonare debet: *De rationibus inter episcopos et Romanum Pontificem*, vel S. Sedem, non vero *SS. Romanae*

Curiae Congregationes, quia hoc melius concordat cum veritate dogmatica et etiam historica. Erat enim tempus in quo nullae rationes inter episcopos et SS. Curiae Romanae Congregationes erant quia Congregationes ...¹¹ adhuc non existebant. Ex notis historicis Annuario Pontificii patet, ipsas non excedere ultra saeculum XVI. Non datur vero tempus in vita Ecclesiae Christi, in quo non essent rationes episcopos inter et Romanum Pontificem, rationes inter corpus episcoporum et eius caput. Ideo, meo humili iudicio, praferenda est formula, quae in natura ontologica huius rationis inter episcopos et Romanum Pontificem fundatur, formulae ...¹² in facto momentaneo et *accidental*i¹³ fundatae.

Non adest tandem difficultas ex parte terminologiae iuridicae, ut talis mutatio tituli in schema nostrum indicatur. Codex enim Iuris Canonici simili terminologia iam utitur, *uti ex can. 7 patet*.¹⁴

2. Dictis de titulo, nunc de arguento in hoc titulo contento tractabo, quod in nn. 2 et 3 continetur. Argumentum in his numeris contentum generaliter placet, exclusis partibus, quae suggerere intendunt, quod facultates, quae ex nunc, post Concilium scil., episcopi iure communi stabiliter habebunt, hucusque illis quasi ex concessione recognitae fuerint. Revera autem facultates illae et adhuc ampliores olim in praeteritis Ecclesiae saeculis ad episcopos in suis ecclesiis pertinebant et tantum tractu temporis, ob iustas fortasse causas, ipsis ademptae sunt per reservationes et ad exercitium traditae diversis Curiae Romanae Dicasteriis. Ideo usus facultatum, quem Concilium nunc hoc decreto episcopis adiudicat est potius restitutio quam recognitio seu concessio. Et hic ostenditur etiam finis practicus definitionis potestatis iurisdictionalis episcopi in sua dioecesi, quod ipsa nempe est immediata ac ordinaria ...¹⁵ Si talis est enim potestas iurisdictionalis episcopi, sufficit levare reservationes positas, ut ipsa suum vigorem pristinum recuperet et in effectum deducat.

3. Nunc de titulo II, pag. 7 schematis, qui sonat: De praxi Ss. Congregationum relate ad episcopos ...¹⁶.

Titulus ipse non placet, laborat enim iisdem defectibus ac titulus I. Ideo rationes ibidem allatae valent etiam hic ...¹⁷. Potius placet titulus quem propono: « De praxi S. Curiae Romanae relate ad episcopos ». Hoc enim titulo proposito comprehenduntur non solum Congregationes, sed etiam tribunalia et officia Romani Pontificis, quae relationes quoque habent cum episcopis, non tantum Congregationes. Propositus ergo titulus, uti magis adaequatus, praferendum est titulo in schemate adhibito. Tali titulo tandem utitur praxis ecclesiastica, v. g. Annuario Pontificio. Quoad argumentum huius tituli nullae exsurgunt obiectiones. Exoptandum est tantum, ut officia vel commissions, de quibus sermo est in n. 4 quamprimum constituantur ...¹⁸. Idem dicendum est de episcopis

in Ss. Congregationum consilium cooptandis, sed melius adhuc esset hanc cooptationem etiam ad officia Curiae Romanae extendere.

Attamen normae praeviseae in schemate nostro mihi videntur non sufficientes fore. Hoc patet tum ex discussione in hac aula conciliari habita circa constitutionem dogmaticam *de Ecclesia*, tum praesertim ex suffragatione circa 5 Propositiones quoad cap. II schematis *de Ecclesia*. In hac suffragatione acceptae fuerint Propositiones 3 et 4 cum explicatione sensus earum in N. B. expresso, ubi dicitur « de modo practico et concreto, quo duplex forma supremae potestatis in Ecclesia exercetur ». Talem modum novae ...¹⁹ inducenda in exercenda suprema potestate in Ecclesia videtur annuere ipsum Romanum Pontificem in sua famosa allocutione ad officiales Curiae Romanae nuper habita, *et ultimo in allocutione cum sessio Concilii Vaticani II inchoaretur*.²⁰

Sed uberior dissertatio et complementum nostri capitinis tunc tantum possibiles erunt, cum labores circa constitutionem dogmaticam *de Ecclesia* perficiantur, *quia tunc*²¹ applicatio practica et fructifera principiorum in ea contentorum in forma iuridica possibilis fiet. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ A) Introductio n. 1. ² pars I, cap. II, iam a nobis examinata. ³ in hoc cap. II de constitutione hierarchica Ecclesiae et in specie de episcopis. ⁴ Comparando scil. potestatem S. Pontificis cum potestate episcopi in sua dioecesi. ⁵ deest. ⁶ Talis erat etiam opinio multorum Patrum in hac materia in praeteritis congregationibus huius Concilii manifestata. ⁷ quae est fundamentum eius muneric pastoralis. ⁸ B). ⁹ cum cap. scil. II de constitutione hierarchica Ecclesiae. ¹⁰ successore. ¹¹ istae. ¹² transitoriae. ¹³ non stabili. ¹⁴ cum in can. 7 statuit: « Nomine Sedis Apostolicae vel S. Sedis... veniunt non solum Romanus Pontifex, sed etiam... Congregationes, Tribunalia, Officia... etc. ». Immo nomen propositum (Romanus Pontifex, S. Sedes) melius est, mea humili opinione, quam nomen in schemate exhibitum, *quia* hoc ultimum limitat rationes episcoporum ad Congregationes tantum, praetermissis Tribunalibus et Officiis S. Curiae Romanae, quod non concordat cum praxi administrativa Ecclesiae. ¹⁵ de qua sermo erat in initio huius interventionis. ¹⁶ et qui comprehendit nn. 4 et 5 schematis. ¹⁷ et ad titulum II item sunt applicanda. ¹⁸ ex viris peritis et revera unde quaque adscitis compositae ad studium quaestionum hodierni ministerii pastoralis tam complicati in diversis nationibus. ¹⁹ formae. ²⁰ deest. ²¹ Exspectandum est ergo, dum haec constitutio dogmatica perfecta erit et tunc tandem.



EXC.MUS P. D. FIDELIS GARCIA MARTINEZ
Episcopus tit. Sululitanus

Liceat quamdam observationem vel emendationem proponere in cap. I, n. 3, pag. 6, de facultatibus episcoporum, principium fundamentale.¹

Recte quidem, iam in ipsa huius schematis introductione, dictum est: « Animarum salus, lex in Ecclesia Christi suprema »; et recte quoque, in hoc n. 3, ut « principium fundamentale » asseritur: « Episcopi residentiales iure communi omnes habent facultates quas aptius et expeditius eorum ordinariae et immediatae potestatis exercitium, sub primatu iurisdictionali Romani Pontificis explendum, expostulat ».

At, cum haec verba « facultates quas aptius et expeditius eorum ordinariae ac immediatae potestatis exercitium expostulat » aliquantulum vaga seu indeterminata sint, formula seu regula magis concreta fulciri possent, ut non mere theoreticam, sed et practicam habeant efficaciam. Quam quidem regulam seu formulam ex ipso Ecclesiae magisterio haurire possumus.

Nam ab hoc magisterio docemur Romanum Pontificem iurisdictionem plenam habere in universam Ecclesiam et in omnes et singulos pastores et fideles; et simul docemur (cf. Concilium Tridentinum, sess. XXIII, cap. 4, et Concilium Vaticanum I, const. *de Ecclesia Christi*, cap. 3) quod « Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei ». Quae quidem iuris divini sunt ac, proinde, immutabilia.

At modos seu determinationes particulatim exercendi hoc regimen et illam iurisdictionem, iuxta locorum et temporum et personarum varias circumstantias, haec Christus iudicio seu prudentiae reliquit ipsius sacrae hierarchiae, dummodo substantialia ab ipso instituta serventur, i. e., et regimen Ecclesiae per episcopos et iurisdictionis universalis Romani Pontificis. Hi modi seu determinationes exercitii regiminis episcopalnis et iurisdictionis pontificiae ecclesiastici iuris erunt; et eorum influxus beneficus vel nocivus in vitam Ecclesiae et animarum, maior vel minor adaequatio Christi menti, prout haec ratione fide illuminata agnoscit potest, horum omnium laus vel culpa in ipsos hierarchas decernentes recident, et quidem graviter.

Iam vero, in hoc iure ecclesiastico decernendo, quod obiectum est huius schematis, et circa « principium fundamentale », de quo in hoc n. 3, haec in primis, iuxta rationem fide illuminatam, praे oculis habenda esse videntur:

Cum Romanus Pontifex, in omnibus et singulis actibus regiminis universalis Ecclesiae, ipse personaliter, ex naturali humana limitatione, intervenire minime possit, nec per legatos id facere valeat, contra divinam episcoporum institutionem ad regendam Ecclesiam Dei, ratio illius supremae universalis iurisdictionis, Petro et eiusdem successoribus concessae, non quidem ea fuit, ut totum Ecclesiae regimen sibi reservarent, sed ut, quotiescumque in aliquo negotio seu materia intervenire, vel eam sibi reservare decreverint, nullus se ab hac iurisdictione exemptum putare, nec ulla a iudicio Pontificio appellatio dari possint in terris.

Ceterum, norma iuxta Christi mentem harum interventionum seu reservationum, satis clare nobis significata est ab ipso supremo magisterio Ecclesiae. En textus Concilii Vaticani I, cum de *definitione Romani Pontificis primatus*² ageret (cf. Denz., nn. 1821 et 1828): « Quemadmodum igitur apostolos, quos sibi de mundo elegerat, *misit, sicut ipse missus erat a Patre*: ita in Ecclesia sua pastores et doctores usque ad consummationem saeculi esse voluit. Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, B. Petrum ceteris apostolis praeponebat, in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum.

« Tantum autem abest, ut haec Summi Pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae illi episcopalnis iurisdictionis potestati ... ut eadem a supremo et universalis pastore asseratur, roboretur ac vindicetur ».

Iuxta hos textus, finis seu ratio specifica, ut ita dicam, institutionis a Christo in Ecclesia primatus Romani Pontificis, fuit conservatio unitatis fidei et communionis seu disciplinae in ipsa Ecclesia; unde hic primatus, potius quam ad potestatem episcopalem minus efficacem vel expeditam reddendam, ad eamdem asserendam et roborandam ordinari dicendum est.

Iam vero, cum iuxta effatum philosophicum « finis sit regula ceterorum », haec prima regula seu norma interventionum vel reservationum a S. Sede decretandarum dicenda videtur: ut potestatem episcopalem, ordinariam et immediatam, dioecesim regendi, nec minus efficacem nec minus expeditam reddat, nisi necessitas unitatem fidei et disciplinae servandi aliud expostulet.

Unde « principium fundamentale » huius n. 3 ...³, sic emendandum proponimus: post verba « ad se avocare iudicaverit », haec addantur: « Episcopi residentiales, iure communi et sub iure communi sive divino sive ecclesiastico, plenam potestatem dioecesim efficaciter et expedite in omnibus regendi; iis tantum exceptis quae a Romano Pon-



tifice, ratione fidei et disciplinae unitatem servandi, sibi reservata fuerint ».

Cetera huius n. 3, § 1, omittantur; et in appendice de qua agitur, potius quam facultatum, quae episcopis *recognoscuntur*,⁴ elenchus fiat earum, quae S. Sedi reservatae maneant. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² definiendo R. P. primatu. ³ par. I.
⁴ *recognoscantur.*

8

EXC.MUS P. D. AUDENUS McCANN
Archiepiscopus Capetownensis

Em.me Praeses, venerabiles Patres,

Nomine episcoporum Africae Meridionalis et Rhodesiae Meridionalis loquor, secundum emendationem iam propositam a conferentia nationali.

Placent ea quae dicta sunt in par. 5, pag. 7 ...¹, de episcopis diversarum nationum a conferentia episcopali nationali designatis, in Ss. Congregationum consilium cooptandis tamquam membris vel consultoribus.

Primo quidem, quod ibi proponitur omnino concordat cum ideis ab ipso Summo Pontifice expressis in Allocutione ad Romanam Curiam die 21 septembris habita.

Secundo vero, tam evidenter ad bonum universalis Ecclesiae concurret et ad pastoralem Concilii Oecumenici finem attingendum, ut de hoc nemo dubitare possit. Etenim Romana Curia multo meliorem habebit opportunitatem mutuae consultationis et arctioris collaborationis cum episcopis, et ita, ditata thesauro experientiae ab episcopis in eorum pastorali ministerio cumulato, multo melius valebit munus suum explere « in bonum omnium Ecclesiarum et in servitium sacrorum pastorum ».

*Nihilominus*² proposita cooptatio quorumdam episcoporum in Ss. Congregationum consilium omnino non sufficit ad finem intentum.

Imprimis, practicis difficultatibus non caret. Episcopi dioecesani non poterunt coetibus Congregationum adesse tam frequenter quam membra et consultores Congregationum qui Romae degunt; nec magnam partem habebunt in praeparandis rebus tractandis; nec tempus facile invenient istas res profundius cognoscendi.

Praeterea, ad bonum Ecclesiae hodiernae in sua pastorali activitate ulterius procedendum esse videtur. Non tantum episcopi in Ss. Congregationum consilium cooptandi sunt, sed etiam constituendum est corpus

consultativum episcoporum, totum episcoporum collegium repraesentans, quod statutis temporibus (semel saltem in anno) Romae conveniat ad directe deliberandum cum ipso Summo Pontifice et cum principibus eius curialibus officialibus de rebus ad universalem Ecclesiam spectantibus. Quae directa deliberatio cum ipso Summo Pontifice sponte sequitur ex iis quae iam saepius in hac aula dicta sunt de collegio episcoporum; nec aliena est a verbis ipsius Summi Pontificis ad Romanam Curiam loquentis de desiderio quod Concilium manifestare potest « di vedere associato in un certo modo e per certe questioni... qualche rappresentante dell'episcopato, particolarmente fra i presuli che dirigono una diocesi, al capo supremo della Chiesa stessa, nello studio e nella responsabilità del governo ecclesiastico » — en verba ipsissima Summi Pontificis.

Tale consilium episcopale seu corpus consultativum Summo Pontifici consilium praestaret circa maxima problemata pastoralia Ecclesiae universae, necnon circa ea quae Ecclesiae « aggiornamento » consequentur et quae spectant ad decisiones huius Oecumenici Concilii in effectum deducendas.

Immo, in opinione mea, ne nimis protrahantur Concilii disceptationes, plura quae ipsi Concilio tractanda in futuro proponi debent ab huiusmodi consilio episcopali tractari possent, i. e. ea quae spectant ad res disciplinares ordinandas. Ad istas quaestiones examinandas et solvendas mandatum acciperet ab ipso Concilio, ita omnia ageret secundum mentem Concilii iam clare manifestatam.

Praeterea, tale consilium episcopale Summum Pontificem immediate certiorem faceret de statu mundi catholici, sive quod spectat ad res pastorales, sive quod attinet ad cetera omnia; item nota faceret incepta ad problemata solvenda in cunctis mundi partibus cum felici exitu excoigitata. Denique Summo Pontifici eiusque Curiae multum inserviret ad rationem agendi inveniendam diversis temporibus ac locis maxime convenientem.

Propono igitur ut in schema inseratur nova paragraphus seu sectio in qua corpus consultativum episcoporum, Summo Pontifici in gubernio Ecclesiae universalis associatum, claris verbis praesentetur, et in qua, secundum invitationem ipsius Summi Pontificis Concilium Oecumenicum Vaticanum II suum desiderium clare manifestet associandi quosdam collegii episcopalnis repraesentantes cum Capite supremo ipsius Ecclesiae in studio et responsabilitate gubernii ecclesiastici. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ linn. 21-27. ² Attamen.



EXC.MUS P. D. MICHAËL BROWNE
Episcopus Galviensis et Duacensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine plurium episcoporum de Hibernia.

1. Multum audivimus heri de necessitate doctrinae collegialitatis episcoporum tamquam fundamentum huius schematis. Non consentio.

Per centum annos, episcopi in Hibernia habuerunt conferentiam episcopalem nationalem quin unquam audirent de collegialitate.

Sed est doctrina quae est vere fundamentalis, nempe iurisdictionem episcopi residentialis esse ex divina institutione.

Apparet tendentia in hoc schemate diminuendi figuram et auctoritatem episcopi residentialis per imponendum coadiutorem, extorquendum renuntiationem et inserendum auctoritatem collectivam. Haec tendentia pessimos fructus, mea opinione, produceret quoad unitatem populi et disciplinam cleri. Necesse est auctoritatem episcopi residentialis asserere et confirmare. Hinc propono ut pag. 5, lin. 7, introducantur verba « ex divina institutione ». Haec doctrina recepta est in Ecclesia, invenitur in C.I.C., can. 329.

2. De facultatibus episcoporum disceptandum non est in Concilio. Hoc est mandatum commissionis de coordinandis laboribus Concilii. An habet commissio auctoritatem determinandi quid in Concilio Oecumenico disceptandum sit vel non? Solus Supremus Pontifex hanc auctoritatem habet. Si dedit potestatem commissione, acquiescendum est.

Sed sunt plures quaestiones quae ad bonum pastorale dioecesium maxime pertinent: de causis matrimonialibus, de reservatione censurarum, de taxis pro dispensationibus.

Dolendum est in hoc Concilio non permitti opiniones Patrum de his materiis libere et aperte communicare.

De praxi Ss. Congregationum relate ad episcopos. Haec materia non ad Congregationes tantum pertinet sed etiam ad Tribunalia et Officia, cum quibus episcopi frequentes relationes habent. Romanus Pontifex supremam potestatem legislativam, exsecutivam et iudicariam habet. Utique...

Moderator: Exc.me Domine, de hoc iam alii Patres locuti sunt!

Orator: Bene! Sed distinctio inter organa exsecutiva et iudicaria est valde confusa. Tribunalia sunt iudicaria, sed Congregationes etiam

exercent functiones iudiciales, etiam de matrimoniis. Officia potestatem exsecutivam habent sed quaedam Officia nullam pastoralem functionem exercent, e. g. Dataria de reservationibus beneficiorum occupatur. Hae reservationes in certis tantum regionibus urgentur, non in omnibus. Hoc non est aequum. Praeterea nulla ratio pastoralis pro his reservationibus dari potest.

Nihil in capite dicitur de charactere internationali Curiae, nec de qualitatibus requisitis. Sed certe valde requiritur ut in tribunalibus, sicut Rotae et Poenitentiariae, et in Congregationibus adsint viri qui de linguis et conditionibus variarum nationum bene versantur. Sed quaestio est num hic, hi veri sint episcopi. Schema proponit ut nonnulli episcopi diversarum nationum membra vel consultores Congregationum fiant. In hoc aliqua inconvenientia vel etiam pericula oriri possunt. Si episcopus est membrum activum et non mere dormiens Congregationis, debet habere cognitionem et vocem et influxum in omnibus casibus ad suam nationem pertinentibus, e. g. in Consistoriali partem habebit in nominatione episcoporum et in determinandis negotiis suaे nationis; in Congregatione de Religiosis partem habebit in quaestionibus inter religiosos ipsos vel inter religiosos et episcopos. Inde video inconvenientiam in associatione episcoporum cum Sacris Congregationibus.

Mihi videtur locum episcoporum esse in participatione potestatis legislativae Supremi Pontificis, in formando Concilio permanenti quod Romanum Pontificem adiuvaret ut leges ecclesiasticae bonum commune magis promoverent et pericula nova emergentia efficacius et celerius averterent. Hoc opus consultivum etiam nunc a Sacro Collegio cardinalium facilius exsequi potest, si Sacrum Collegium vere senatus esset qui conventus regulares haberet ad leges universales Ecclesiae perpendendas et renovandas. In temporibus anteactis Sacrum Collegium fuit vere senatus consultivus per modum consistorii. Forsitan bonum esset adiicere aliquos episcopos, si Sanctissimus vellet. Sed functio episcoporum et cardinalium propria est adiuvare Summum Pontificem in legislativa, non in exsecutiva. Dixi.

Textus scripto traditus:

1. Propono ut in introductione, pag. 5, lin. 7, introducantur verba « iure divino », ita ut legatur « Episcopi ergo, cum iure divino peculiaribus praeficiantur Ecclesiis tanquam veri pastores ».
2. De facultatibus episcoporum disceptandum non est in Concilio. Hoc est mandatum commissionis de coordinandis laboribus Concilii. Solus Romanus Pontifex habet auctoritatem determinandi quid in Concilio agendum sit vel non. Dolendum est in hoc Concilio non permitti opiniones Patrum libere et aperte com-



municare de pluribus materiis maximi momenti, quae ad bonum pastorale pertinent, e. g. de causis matrimonialibus, de reservatione censurarum.

De praxi Congregationum erga episcopos. Haec materia extendit etiam ad Tribunalia et Officia. Supremus Pontifex utitur Curia in exercitio potestatis executivae et iudicialis. Distinctio inter organa iudicialia et administrativa est valde confusa. Quaedam officia nullum laborem pastoralem exercent e. g. Dataria.

Nihil dicitur de internationali charactere Curiae, de qualitatibus curialium. Valde requiritur ut in tribunalibus sicut Rotae et in Congregationibus adsint viri qui in linguis et conditionibus variarum nationum versantur.

Proponitur ut episcopi fiant membra vel consultores SS. Congregationum. Si hi episcopi cognitionem vocem et influxum in rebus apud Congregationes discep-tatis, potest esse inconvenientia vel periculum. In Consistoriali partem haberent in nominatione episcoporum et in rebus ad dioeceses pertinentes; in Congr. de Religiosis partem haberet in quaestiones inter religiosos ipsos vel inter religiosos et episcopos.

Mihi videtur locum proprium episcoporum esse in participatione potestatis legislativae Summi Pontificis, in formando consilio permanenti quod Romanum Pontificem adiuvaret ut leges ecclesiasticae bonum commune magis promoveant, et pericula nova emergentia efficacius et celerius avertant. Hoc opus consultivum etiam nunc in Sacro Collegio cardinalium faciliter exsequi potest, si Sacrum Collegium vere senatus esset qui conventus regulares haberent ad leges universales Ecclesiae perpendendas et renovandas.

10

Exc.mus P. D. ANTONIUS FERREIRA GOMES
Episcopus Portugallensis

Em.mi Praesides, venerabiles Patres et Fratres,

1. Schema, quod nihil dicit de episcopo in se, sed est totum in relativo, habitudines episcopi ad omnes fere sursum ac deorsum considerans, necesse est incipiat, ut mihi videtur, a relatione et habitudine, non ad Curiam, sed ad ipsum Summum Pontificem tum episcopi tum collegii episcopalis.

Nec dicatur hoc esse theologicum, in schemate ideo dogmatico *de Ecclesia* reconendum. Quod ibi theologicie, hic iuridice, *personaliter*¹ et quasi vitaliter ad rem est deducendum.

Nec impossibile nec admodum difficile hoc ...² videtur. Sufficit, e. g., ut sumantur maiora capita illius Declarationis collectivae ab episcopatu germanico anno 1875 editae contra falsas interpretationes tum primatus tum infallibilitatis ab auctoritate civili prolatas, quae Declaratio, a Summo Pontifice Pio IX quasi gloria Ecclesiae et laetitia cordis sui laudata, praebet verum sensum Concilii Vaticani ea claritate et integritate ut nihil addendum desideretur, sicut idem Pontifex iterato expressit.

Quae ibi dicuntur contra falsam notionem Ecclesiae quasi monarchiae absolutae si in mentem omnium, non tantum principum saecularium et acatholicorum, verum etiam et maxime catholicorum et doctorum altius defingerentur, opimi fructus in *tota*³ reali vita Ecclesiae exspectandi essent. Idem dicatur de negata functione episcopi quasi vices gerentis papae, scil. externe potestatis, immo maxime ...⁴ de illa perlucida proclamatione, nempe non admitti in Ecclesia principium *illud*⁵ immorale et tyrannicum quod mandatum superioris *eliminet*⁶ sine restrictione responsabilitatem personalem.

Etiam in ipsis relationibus *ad Deputationem*⁷ Fidei in Vaticano I factis non pauca *invenirentur*⁸ quae ad hanc habitudinem clarificandam pertinerent.

Tandem aliquando ...⁹ non videretur absonum nec alienum a Concilii natura, *post iuridica et pastoralia quaecumque*¹⁰ actum fidei proferre quoad hoc ...¹¹ in mysterium Ecclesiae, *qui*¹² in duplex caput cederet, scil.: 1. numquam fuisse et numquam fore, salva Ecclesiae veritate ac indefectibilitate, ut episcopatus qua talis a suo capite separetur, nec idcirco et vicissim ut Papa ...¹³ sit *situs*, maxime cum fidem Ecclesiae, non utique suam, definit. Et 2. Spiritum Patris et Christi-Capitis ita assistere atque praefuisse, praeesse et praefuturum esse Corpori ut numquam primatus episcopatum extenuet aut evacuet atque ut numquam collegium episcoporum possit primatui et unitati Ecclesiae officere ...¹⁴. In Spiritu assistenti *Ecclesiam*¹⁵ est ultimatum aequilibrium inter duplum veritatem et potestatem ab eodem Christo promanantem.

2. Tum ad principia tum ad normas iuridicas et praxim quod attinet, ...¹⁶ nihil inducendum, nihil innecessarie retinendum quod unionem et collegialitatem episcoporum cum Summo Pontifice obscurare possit. Ea omnia promovenda sunt, quae hanc veritatem in lucem ponant ita ut opimos fructus suos ...¹⁷ afferat in bonum Ecclesiae.

Quae ideo dicuntur sub n. 5 huius capituli non videntur ad hoc satis proficere, immo nec convenire, quia:

a) si collegialitas est de essentia Ecclesiae, tunc semper fuit, est et erit ...¹⁸, modis et formis a suo Capite ...¹⁹ determinandis; dubium ...²⁰ erit num etiam collegialitas sit delegabilis;

b) non videntur respondere menti Summi Pontificis ...²¹ cum locutus est *ad Curiam, sicut hic iam saepe commemoratum est;*²²

c) possent *forsan*²³ vergere in contrarium, scil.²⁴ in maiorem centralizationem et forsitan in maiorem autonomiam *erga membra et etiam erga*²⁵ Caput collegii.

Nunc vero ...²⁶ non videtur Concilium vitare posse quaestionem *utrum*²⁷ sit praeter episcopale, aliud collegium, quod forsitan *hoc*²⁸ obscu-

ret et, si ita, utrum sit necessarium. Id quod est iuris divini homini non licet immutare; quod autem historia *humana*²⁹ invexit nihil prohibet quominus historice iudicetur.

Episcopi succedunt collegio apostolorum et cum suo capite efficiunt in ...³⁰ tempore Ecclesiae, iure divino, collegium indefectibile. Ex alia parte, ut iam in Vaticano I nomine Deputationis Fidei dictum est, « episcopi et charactere et auctoritate principes sunt... quod eos Christus *pontifices summos regendis populis praefecit* ».

Nunc vero Sacrum Collegium em. morum cardinalium historice institutum est ad tuendam libertatem Ecclesiae Romanae et consequenter libertatem simpliciter Ecclesiae, quod munus, ...³¹ utique nobilissimum, fuit maxime necessarium pro ...³² conditionibus temporis. Quod autem sua ipsa existentia et³³ splendore offuscet collegium episcopale non videtur dubium. Aliquo tandem die quaerendum erit utrum sit adhuc necessarium. Pro eligendo Summo Pontifice procul dubio *nunc temporis*³⁴ electores sumpti undequaque terrarum citius Vaticano accederent quam olim cardinales ex suburbicariis sedibus.

Dicat forsitan quis Summum Pontificem ad regendum Ecclesiam ...³⁵ indigere summis administris sicut omnia gubernia. Quamvis abhorream, Evangelio duce, a comparatione Ecclesiae cum societatibus saecularibus, hic comparatio est revera naturalis, quia sine ulla irreverentia agnoscendum est Curiam Romanam, saeculo XVI *institutam in forma actuali*,³⁶ speciem adhuc p[ro]ae se ferre, haereditate excepta, curiae regalis saec. XVII aut XVIII, ne loquamur de quibusdam reliquiis Imperii Byzantini et Romani-Germanici.

Quis autem hodie cogitare potest in *societate*³⁷ civili de cursu honorum ad *functionem*³⁸ administr[is] Status ducente, aut de aliquo coetu privilegiato et a iuventute *praeparato ut munera suprema*,³⁹ nempe ministeria, directiones generales, legationes et ita porro obeat?!

Summus Pontifex, *semel ab Ecclesia electus*⁴⁰ et a Spiritu Sancto institutus, seligeret ex omni Ecclesia ...⁴¹ cooperatores, administratos et rectores *Congregationum et*⁴² Dicasteriorum, ad tempus *assumptos*,⁴³ v. g. ad triennium, qui, supremi utique episcopi, *munus dioecesanum retinerent*.⁴⁴ Traditio et necessaria continuitas in officiis Curiae ab officialibus servaretur, qui cursum suum ...⁴⁵ haberent, sed *non praeter*⁴⁶ ambitum officiorum ...⁴⁷. Cursus honorum qui ad episcopatum motu ...⁴⁸ suo ducat videtur omnino indecens ...⁴⁹.

*Tempus expletum est.*⁵⁰ Et dixi.

In *textu scripto tradito*: ¹ pastoraliter. ² quod proponimus. ³ summa. ⁴ dicendum. ⁵ deest. ⁶ eliminat. ⁷ a deputatione. ⁸ in-

veniuntur. ⁹ post iuridica et pastoralia omnia. ¹⁰ deest. ¹¹ punctum.
¹² quae fides. ¹³ unquam. ¹⁴ quoad substantiam et essentialia utriusque
 Instituti aequa in Evangelio fundati. ¹⁵ Ecclesiae. ¹⁶ quin immo in praxi.
¹⁷ proprios. ¹⁸ ut revera credo. ¹⁹ determinatis atque. ²⁰ etiam ad
 minus. ²¹ Pauli VI. ²² de « desiderio di vedere *associati...* qualche rappre-
 sentante dell'episcopato, particolarmente tra i presuli che dirigono una diocesi,
al capo supremo della Chiesa stessa, nello studio e nella responsabilità del governo
 ecclesiastico... ». ²³ deest. ²⁴ nempe. ²⁵ relate ad membra quin
 immo ad. ²⁶ temporis. ²⁷ utique salebrosam, utrum nempe. ²⁸ illud.
²⁹ deest. ³⁰ omni. ³¹ p^raे omnibus. ³² lugendis. ³³ quin dicam.
³⁴ nostro hoc tempore. ³⁵ universam. ³⁶ suam formam ducentem. ³⁷ ci-
 vitate. ³⁸ munus. ³⁹ sic educto, ut functiones supremas. ⁴⁰ ab omni
 moraliter Ecclesia assumptus. ⁴¹ pro agnita competentia. ⁴² deest. ⁴³ as-
 sumendos. ⁴⁴ dioecesim suam retinerent, dum cum Summo Pastore in univer-
 sale munus collaborabant fere duplice pastorali ratione. ⁴⁵ utique. ⁴⁶ intra.
⁴⁷ seu, ut dicitur, burocraticum, non autem gubernativum. ⁴⁸ quasi. ⁴⁹ cum
 episcopatus sit iuris divini. Ex Dei instituto, omnis pontifex ex hominibus assu-
 mitur et pro hominibus constituitur: non videtur ex aliquo cursu honorum
 desumendus nec pro aliqua functione burocratica constituendus. De institutis
 diplomaticis iam satis dictum est, maxime a clarissimo episcopo missionario Am-
 man, loquente de rugis Ecclesiae. Relationes Ecclesiae romanae magis magisque ad
 populos « *rhythmo constantiano* » pereunte et simul conceptu democratico apud
 ipsos progrediente; ideoque minus minusque ad duces eorum. Valor et vis S. Sedi
 apud civilia gubernia tanta et non amplior (quandoque minor) quam vis politica
 actualis aut potentialis catholicorum illius societatis. Aliunde duo magna, ultima
 et tandem aliquando unica instrumenta virorum diplomaticorum, nempe veritatem
 supervestire et tandem illi sufficere mendacium atque minitare minus minusque
 discrete vim et bellum, Ecclesiam dedecent. Si revera Ecclesia apud quendam po-
 pulum iam adolevit, tunc episcopi fiduciam S. Sedi merentur, etiam ad collo-
 quendum cum auctoritate civili, sin minus, si revera episcopi non merentur illam
 fiduciam, tunc certo nondum adolevit Ecclesia, mittantur Nuntii aut Legati Apo-
 stolici, sed ut Franciscus Xaverius et alii, vere missionarii.

Labente tempore quaedam dilabuntur ut nova quaedam florescant. In Con-
 cilio Tridentino, ut fertur, arch. Bracarense, ven. Bartholomaeus de Martyribus,
 cum de Reformatione ageretur, omnibus obsequenter asserentibus cardinales
 S. Romanae Ecclesiae non indigere reformatione, in medium protulit: « *Illustris-
 simi ac reverendissimi cardinales indigent illustrissima ac reverendissima refor-
 matione!* ».

Hodie, Deo opitulante, de tali reformatione ne verbum quidem! Sed, salva
 reverentia, nihil prohibet quominus cogitemus de die in quo ab omni Ecclesia
 gratiae agendae Sacro Collegio erunt pro munere bene functo et iam defuncto.
 Sensus meum aperire, qui sensus — ut verbis utar Augustini — « mihi quam
 aliis et quam aliorum est utique notior » parum referret; possem autem et sen-
 sum aliorum referre qui non loquuntur...

Iam haec omnia saltem in mente elaboraveram cum Sua Beatitudine Maxi-
 mos IV, patriarcha Melchitarum, hic mentem suam ac suorum pandit. Nec doleo;
 immo quodammodo gaudeo. Iam inde ab incepto Concilio mecum et cum quibus-
 dam dolebam de inconformitate cogitandi et sentiendi inter orientales et occiden-



tales: quasi fossa aut *choas magnum* inter nos, ad quod cumulandum in aula parum, si aliquid, fiebat (salva semper miranda activitate secretariatus pro oecumenismo). Nunc vero si nec inter catholicos orientales et occidentales realem unitatem sine renegatione valorum priorum consequimur, quid cogitandum de unitate cum orthodoxis et aliis separatis? Si vero hunc consensum mentium et cordium, in diversitate traditionum, rituum et culturae non consequimur, in campo praecipue ecclesiologico, agnoscamus Concilium quoad praecipuum finem incassum iri. Quod Deus avertat!...

Iam nunc tantum deest ut reverentiam meam profitear erga Sacrum Collegium hic et nunc stans, et signate, simul cum gratiarum actione erga praesides et moderatores, qui procul omni dubio, in quacumque conditione essent eminentes, immo vero eminentissimi, ut re quidem vera sunt, in iuris divini collegio episcopali. ⁵⁰ deest.

11

EXC.MUS P. D. SERGIUS MÉNDEZ ARCEO

Episcopus Cuernavacensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine nonnullorum episcoporum Americae Latinae, sed diversimode, quia pro vicissitudinibus huius meae interventionis quae-dam debui immutare, et omittere alia iam pluries dicta.

Circa ea quae hodie audivimus in hac aula, in hac congregazione generali, dicere velim quod non sumus hic ad doctrinam Concilii Vaticani I repetendam et extollendam, sed complendam et vias quaerendas ut bonum Ecclesiae nostris temporibus procuremus.

Schema de episcopis in plurimis singillatim sumptis placet; sed relate ad cap. I haec habeo dicenda.

1. Schema plurimis orbatur quaestionibus, et ita complendum et mutandum videtur cap. I, post introductionem iam pluries commendatam in aula:

De pastorali episcoporum munere.

A) De docendi episcoporum munere.

B) De pontificali episcoporum munere.

C) De regendi episcoporum munere: principium fundamentale; de potestate episcopi residentialis; de potestate episcopi coadiutoris et auxiliaris; de potestate vicarii episcopalibus.

D) De electione episcoporum ac de eorum cessatione a munere.

Alia vero capita, ut melius mens mea appareat, ita integrarentur, partim ex materia quae nunc est in cap. I:

Cap. II. *De communione episcoporum cum Sede Apostolica.*

A) De potestate collegiali episcoporum: principium fundamentale; de Summi Pontificis muneris exercitio; de patriarchis et cardinalibus in Ecclesia; de consilio apostolico constituendo.

B) De Dicasteriis Sedis Apostolicae.

C) De Delegatis Apostolicis.

Cap. III. *De communione episcoporum per orbem dispersorum, nempe de conferentiis episcopalibus.*Cap. IV. *De dioecesum ac provinciarum ecclesiasticarum congruenti circumscriptione.*Cap. V. *De communione episcopi cum suo presbyterio.*Cap. VI. *De communione episcoporum et religiosorum.*

Hoc quidem significat refunditionem totius schematis cum elementis schematum *de cura animarum* et *de clericis*. Textus ita ab aliquibus episcopis Americae Latinae redactus tempore opportuno commissione conciliari tradetur.

2. Nihil habemus in cap. I de nominatione episcoporum, quae maximi momenti est pro salute Ecclesiae; et variae formae decursu saeculorum adhibitae sunt, quae examini subiciendae essent ad hoc ut selerentur et adaptatae in usum venirent eae quae melius menti nostri temporis et praesertim novis formis structurationis practicae Ecclesiae responderent. E. g. tamquam praecipua forma interventionis Status in res ecclesiasticas potest sine dubio considerari, in era constantiniana cui nunc forsitan finis imponitur, interventione Status in nominatione episcoporum et in erectione et delimitatione dioecesum et nonnunquam in erectione et delimitatione paroeciarum. Ex hac interventione plura mala evenisse historia testatur; etsi, sicut mos est in rebus humanis, non pauca bona aliquando, e. g. cum America detegebatur et evangelizabatur, nam Status, Providentia divina opitulante, sollicitudinem missionarium, quae tunc in institutionibus et in hominibus ecclesiasticis sub influxu humanismi pagani debilitata erat, fovebat, etsi proh dolor! plurimis actionibus mere politicis vel oeconomicis permixtam.

Ego, episcopus mexicanus, quia aliquomodo sub regimine prae-constantiniano (christianos esse non licet) pastoratum meum exerceo, tolerantia potestatis civilis fruens, de hac re agere audeo « libertate qua Christus nos liberavit ».

Nam cum tempus est loquendi, tacere omnibus nobis nefas esset, quia cum in Concilio loquimur, actioni Spiritus Sancti nos submittimus et plures experti sumus quomodo circa res quae in aula libere disputabantur mirabilis unitas efformata fuit, sicut circa usque ad satietatem



discussam liturgiam iam diu, sicut in casu collegialitatis et diaconatus recentissime accidit.

Exstat et alia quaestio gravissima, sed de ipsa agere defectus temporis non sinit; nec opportunum esset brevitate tractationem perstrinere. Ideoque commissioni conciliari, quae instrumentum est Concilii ad labores secundum voluntatem Patrum technice componendos et perficiendos ut iterum in aula ad trutinam revocentur, votum meum, et vobis metipsis, venerabiles Patres, humiliter scripto tradam, ut diligenter et coram Deo rem pro gravitate naturae suae consideretis ut aliquando tempore et modo opportuno, quam citissime, profunde et definitive expendatur et conciliariter definiatur. Dixi.

Textus scripto traditus:

Schema de episcopis in plurimis singillatim sumptis placet; sed multa in eo non placent:

1. Quia per totum schema haec mens incessanter decurrit opportunum esse episcopos aliquibus facultatibus ditiores facere. E contra vera doctrina est episcopos iure divino iis facultatibus pollere quas eius pastoralis potestas expostulat, quae tamen ob bonum commune Ecclesiae universalis vel regionalis a Summo Pontifice solo vel una cum ceteris episcopis restringi in aliquibus vel totaliter possunt.

2. Quia cum de regimine dioecesium titulo decoretur, nemo intelligere valet cur de coadiutoribus et auxiliaribus agat, et non, e. g., de parochis, cum quaedam de paroeciis tractet.

3. Quia simili modo de bonis Ecclesiasticis nullibi sermo est, cum e contra haec quaestio tangatur in schemate *de clericis*.

4. Quia multo melius esset si schema *de clericis* cum hoc schemate in unum coalesceret. Unam prae aliis demonstrationem affero: non unus ex Patribus in aula votum exprimebant quod de presbyteris et diaconibus ampliori sermone tractaretur in schemate *de Ecclesia*.

Non pauci item fuerunt Patres qui magis protractam elucidationem de sanctitate et de praecipuis virtutibus episcoporum desiderabant, quod tunc etiam praestandum esset de presbyteris et diaconibus, sicut nunc in schemate *de clericis* fit.

Cum vero haec tractatio de sanctitate ministrorum Dei ad schema *de Ecclesia* demandatum fuerit, tunc decretum *de episcopis ac de dioecesum regimine*, optime completeretur cum tractatione de clericis magis pastorali et normativa, post tractationem de coadiutoribus, auxiliaribus, parochis, etc.

5. Quia schema de cura animarum magna ex parte in hoc schemate optime posset refundi.

6. Quia in rebus minimis oleum et opera teruntur, e. g. cum proponitur facultas danda episcopis pro lotione corporalium a religiosis mulieribus (pag. 31, n. 11), dum e contra quaestiones maximi momenti nequaquam tanguntur. Haec duo propono exempla:

a) Una ex praecipuis interventionibus Status in res ecclesiasticas in era constantiniana, cui nunc forsitan finis imponitur, est interventio Status in nominatione episcoporum et in erectione et delimitatione dioecesium et nonnumquam in

erectione et delimitatione paroeciarum, etc. Ex hac interventione plura mala evenisse historia testatur; etsi sicut mos est in rebus humanis, non pauca bona aliquando, e. g. cum America detegebatur et evangelizabatur.

Sed de nominatione episcoporum quae pertinet maxime ad schema de episcopis, tam residentialium quam coadiutorum et auxiliarium, altissimum silentium servatur.

Ego, episcopus mexicanus, quia aliquomodo sub regimine paeconstantiniano (christianos esse non licet) pastoratum meum exerceo, tolerantia potestatis civilis fruens, de hac re agere audeo « libertate qua Christus nos liberavit » (*Gal. 4, 31*).

Sed cum tempus est loquendi, tacere omnibus nobis nefas esset, quia cum in Concilio loquimur, actioni Spiritus Sancti nos submittimus et plures experti sumus quomodo circa res quae in aula libere disputabantur mirabilis unitas efformata fuit, sicut circa usque ad satietatem discussam liturgiam iam diu, sicut in casu collegialitatis et diaconatus recentissime accidit.

b) Extat et alia quaestio quae in hoc schemate et in aliis in quibus opportunum fuisset, accuratissime omissa est:

Inter ea quae maximi facienda sunt ab episcopo in suae dioecesis regimine, facillime sanctitas clericorum primum locum obtinet.

Potestas vero episcopi, quae nunc alligatur a Summo Pontifice, ad sanctitatem clericorum fovendam maxime conferret et statum clericalem nitore lucidissimo circumdaret, nec memoratur quidem.

Loquor, conscientia me urgente, de facultate dispensandi a voto virginitatis sacerdotibus id opportune, iuste, gravissimis de causis potentibus, praevia reductione totali et perpetua ad statum laicalem, approbante Summo Pontifice.

Sicut vota perpetua et sollemnia religiosorum, quae antea numquam dispensabantur, ad vitanda peccata et anxietates eorum qui amplius onus ferre nequeunt quod libere, sincere, in consecratione perfecta Deo, ipsi sibi imposuerunt, hodie dispensantur, episcopus, pastor in primis et pater suorum sacerdotum, quos genuit, quos ad sacerdotium vocavit, quos ad sacerdotium tamquam validos cooperatores promotus est et simul ad perfectam consecrationem virginitatis invitavit, deberet illos liberare posse, prout antea in usu erat, quin ipsos quasi crudeliter vinculis adstrictos relinqueret, non tantum postquam poenis maximis plexi fuerint — iubilaeum quod tot fratres nostri magna spe a Concilio spectant — sed antea cum adhuc medicinae locus est, faciendum esset.

Venerabiles Patres: huius supremae propositionis argumenta hinc inde allata ponderare defectus temporis non sinit; sed commissioni conciliari et vobis ipsis humiliter scripto tradam.

Hoc unum in fine notare velim: nullus ex meis sacerdotibus — gratias maximas, B.ma Virgine Maria intercedente, Deo ago — in miserando statu defectionis versari.

Concludo. Schema pro disceptatione placet ut vera doctrina de potestate episcopali informetur et schematibus de clericis et de cura animarum integretur, prout forsitan alii Patres sapientissimo sermone suadebunt. Compleatur praeterea prout dictum est.

Animadversiones additae:

Brevis deliberatio circa caelibatum. Caelibatus vere constituit gloriam Ecclesiae, uti Summus Pontifex Ioannes XXIII b. m. sermonem habens in Synodo Romano die 26 ianuarii 1960, plaudentibus omnibus edixit (*A.A.S.*, 42, 1960, p. 226).



Nostrum igitur est facere omnia, quae in nostra potestate sunt, ut talis gloria illibata resplendeat in vita et activitate ministrorum Ecclesiae.

Ad hoc vero ut haec gloria illibata servetur, caelibatus non simpliciter ut renuntiatio lege imposta matrimonio habendus est; sed ut vera virginitas, i. e., consecratio Christo soli, gaudio plena et totalis in nuptiali unione Ecclesiae cum Christo ipso, quae fundata in caritate spiritus nunc nos omnes movet ad hanc purificationem institutionum in Ecclesia, ut exhibeat Christo ipso evangelica, sine macula, pauper, humilis, sine pompis, ministerio verbi adhaerens.

Haec quidem evangelica et ecclesialis elatio virginitatis iam in Foedere Veteri aliquantulum adumbrata quae nuntium est pro mundo futuri status perfectae resurrectionis cum Christo in quem tendimus, ita fieri quidem debet, ut non involvat devaluationem matrimonii; aperte praeterea sermo fiat de sacrificio, sine quo virginitas stare nequit; appelletur simul ad amorem generosum erga hominum quo hic status plena libertate est eligendus.

Virginitas in Ecclesia latina inseparabiliter hodie cum sacris ordinibus ad sacerdotium perducentibus coniuncta, ita tamen proponi debet ut candidati ad sacros ordines talem animum habeant ut virginitatem assumerent, etiamsi lex ecclesiastica caelibatum non imponeret. Inde ab initio, quo vocationem divinam sequuntur, qua ad ministeria divina in sacris ordinibus invitantur, statum virginitatis habeant tamquam omnino postulatum pro tali servitio divino.

Altera ex parte, dato sacrificio, quod caelibatus exigit, candidati aperte instruendi sunt, quod quoad viam virginitatis agitur de consilio, non de paecepto: quod electio inter matrimonium et virginitatem est electio inter bonum et maius bonum, non autem inter bonum et malum; quod consequenter plena libertate personali hanc electionem facere possunt et debent; quod igitur libere sacros ordines declinare possunt, quin peccatum committant; quod autem ordinibus receptis obligationi admissae fideliter stare debent.

Ad praecavendum periculum violationis caelibatus requiritur inter alia tamquam suppositum genuina institutio theoretica et practica in ordine ad caelibatum observandum. Institutio theoretica sit immunis ab illis ideis, quae tandem aliquando non sunt genuine christiana, sed sapiunt manichaeismum. Talis institutio potius inspirata sit vera anthropologia christiana, quae hominem totum quantum cum omnibus viribus firmiter credit creatum esse a Deo, qui hominem creavit masculum et feminam, et etiam quoad hoc vidit, quod omnia valde bona erant (*Gen. 1, 27 et 1, 31*).

Vere Sacra Scriptura ubique de hac sphaera agit modo aperto, simplici. Nihil in ipsa habetur devaluationis et habitudinis « complexus » erga hanc sphaeram; quinimmo ipse amor sexualis tanquam imago proponitur amoris inter Deum et hominem.

Institutio practica sit inspirata principiis sanae psychologiae. Momentum positivum virium sexualium pro fere tota vita humana, etiam pro vita mentali-spirituali, attendatur; perfectio personalis integrationem omnium qualitatum exigit; polaritas sexuum natura et fine suo auxilium praestat ad qualitates humanas spirituales evolvendas, ita ut veram harmoniam constituant.

Certo caelibatus excludit relationes familiaritatis cum personis alterius sexus et solitudo maxime nociva est; neque potest satis efferri necessitas renuntiationis hac in re. Eo magis caelibatus exigit habitudinem genuinam, scilicet sim-

plicem, interne liberam, fundatam in veritate et coniunctam cum reverentia et disciplina sui ipsius.

Hic quaestio poni potest, utrum formula can. 972, 1: « Curandum ut ad sacros ordines aspirantes inde a teneris annis in seminario recipiantur »..., sit conveniens necne.

Nonne magis desiderandum esset, ut iuvenes vere maturi, in familia educati, statum ecclesiasticum eligant? Commemoratio in seminario a teneris annis supponit conditiones sociales non desiderabiles, praesertim quod familiae educationem vere christianam non praebant.

Aliis verbis, si secus vocationes non habeantur, *subsidiarie* seminarium in teneris annis educationem convenientem praebeat, postquam candidati rite probati oculatissime selecti fuerint et tempore opportuno probationi contactus cum mundo subiiciantur cum maturiores devenerint.

In omni casu educatio in seminariis, praesertim maioribus, non debet esse nimis exclusive fundata in vigilancia, quae quidem in ipso seminario occasiones peccandi fere excludit, sed pro futuro non multum prodest.

Potius educatio perducere debet ad conscientiam semper magis perficiendam de responsabilitate personali coram Deo et Ecclesia pro omnibus quae in vita fiunt et admittuntur.

Attamen omnibus hisce plene ad effectum perductis, semper erunt casus in quibus caelibatus onus amplius ferri non possit.

Potest enim haberi retardata evolutio virium sexualium talis, ut candidatus ante ordinationem practicam aestimationem sacrificii, quod caelibatus exigit, habere non possit. Talis status mentis se evolvere potest (forte propter elementa constitutionis individualis, quae demum in viro adulto se manifestant), ut observatio caelibatus onus fiat, quod ferri fere non possit. In hisce et similibus casibus conamen caelibatum observandi perducere potest ad talem contentionem virium, praesertim nervorum, ut facile aequilibrium psychicum disturbari possit. Neque durare possunt violentia!

Non semper sine ratione qui in tali crisi positi sunt conqueruntur se ignorasse momentum vitale obligationis caelibatus; se fuisse quasi deceptos in statu caelibatus suscipiendo. Neque potest infirmari vis talium assertorum eo quod in memoriam revocetur iuramentum praestitum de scientia habita obligationis caelibatus ante subdiaconatum. Tales « solutiones » utpote *mere formales* ipsam quaectionem insolutam relinquunt nec multum conferunt ad crises talis generis prae-cavendas nec minuendas.

Porro ratio haberi debet facti homines nostri temporis minore resistantia nervorum gaudere quam temporibus anteactis. Inquietudo et mutatio frequens, quae habetur in vita moderna, sequelae belli, etc. homines magis debiles reddunt saepe inde ab infanthia. Si igitur homines olim maiora mala passi non sunt, quia resistantia nervorum feliciter ferre potuit onera de se non convenientia, non sequitur quod hodie impune ferri posset tale onus.

In hisce et similibus casibus mitigatio praxis quoad dispensationem obtainendum a caelibatu desideranda est. Opportunum esset ut in talibus casibus concederetur dispensatio a caelibatu, utique hac norma, ut taliter dispensatus non iam habeat exercitium ordinum. Tanquam criterium seu causae talis dispensationis forte constitui possent:

a) Indoles anormalis quoad sexualitatem, sive physiologica sive psychica, per medicum probata cui fiducia preeberi possit.

b) Diminutio responsabilitatis personalis ex defectu quoad intellectum vel voluntatem in electione status caelibatus (insufficiens instructio, errata educatio, diminutio libertatis non tantum ex metu gravi et iniuste incusso, sed etiam ex aliis rationibus occurrentibus, etc.).

Talis mitigatio praxis quoad dispensationem a caelibatu desideratur praesertim in favorem eorum qui in omnibus procedere intendunt ad normam legis, sed veram gravissimam causam obiective fundatam habent dispensationem petendi.

c) Tandem sacerdotes forte lapsos non convenit penitus privare omni spe habendi opportunitatem conscientiam ordinandi; potest enim dari talis rerum conditio, ut in concreto ordinatio conscientiae (sacerdotis et mulieris) obtineri non possit, nisi concedatur dispensatio a caelibatu (e. g., si post matrimonium civile iam filii habentur, etc.).

Contra hanc causam dispensationis iure difficultas moveri potest, quod sacerdos quasi invitatur ad talem conditionem creandam, ut tunc dispensationem obtineat. Attamen hoc non videtur esse simpliciter verum. Etsi accidere potest ut sacerdos ita procedat, tamen generatim sacerdos a via caelibatus deflectens, primo tempore iterum atque iterum conamina facit redeundi ad vitam bonam. Demum talibus conaminibus inefficaciter peractis, tandem aliquando definitive viam caelibatus relinquit, et hoc facit etiamsi spes obtainendi dispensationem nulla habeatur, ut ex experientia constat. Quod possilitas dispensationis tales casus multiplicaret, non videtur esse certum et probatum. Praeterea in hisce casibus dispensationi a caelibatu aliqua poena vindicativa adnecti potest, talis naturae, ut sacerdos non facile audeat violare caelibatum, nisi rationes supra sub a) et b) relatis existant.

Utile erit transcribere quae arch. Mediolanensis olim proponebat mense maio 1960: « 1. Quod attinet ad sacerdotes qui defecerunt, opportunum videtur:

a) Subsidia atque adiumenta perficere et augere, quibus faveatur redditus ad fidelitatem et dignitatem sacerdotalis status.

b) Examen casuum, in quibus nulla rationabilis spes adsit illos ad vitam sacerdotalem recuperandi, celerius reddatur, conveniensque processus stabiliantur quibus festina reductio ad statum laicalem decernatur.

c) Studio subiiciatur convenientia seu opportunitas concedendi etiam dispensationem ab obligationibus e sacra ordinatione manantibus, praesertim ab onere caelibatus, illis qui eas iam non valebunt observare, cum penalibus quidem sanctionibus perpetuis et perpetratae infidelitati congruentibus, nec non aptis cum ad praecavendum periculum ne alii eorum exemplum sequantur, tum ad scandalum fidelium vitandum... (cf. can. 211 et ss.) ».

Unum quidem verum est: oculos claudere non possumus; haec quaestio funditus consideranda est sub luce Evangelii Christi, peritis in re psychiatrica et sociali necnon historica et statistica adhibitis. Nec timori nec praeiudiciis locus sit. Iustitiam et caritatem sectemur. Ius divinum et naturale pree oculis habeamus. Verum bonum commune crisi subiiciamus. Solutionem non amplius differamus.

Schema decreti « De episcopis ac de cura animarum ».

Anteprojectum refunditionis trium schematum: « De episcopis », « De cura animarum » ac « De clericis » (ab episcoporum coetu ex America Latina).

Nota. Ista refunditio necessaria videtur ad proponendam tractationem com-



pletam muneris episcopalis in Ecclesia. In conflatione istius refunditionis plures considerantur observationes a variis episcopis ex diversis conferentiis propositae.

Prooemium generale

Cap. I - *De pastorali episcoporum munere.*

- A) *De docendi episcoporum munere.*
- B) *De pontificali episcoporum munere.*
- C) *De regendi episcoporum munere.*
 - 1. Principium fundamentale.
 - 2. De potestate episcopi tit. seu praesidisi (residentialis).
 - 3. De potestate episcopi coadiutoris et auxiliaris.
 - 4. De potestate vicarii episcopalis (generalis).
- D) *De electione episcoporum ac de eorum cessatione a munere.*

Cap. II - *De relationibus inter episcopos et Apostolicam Sedem.*

- A) *De potestate collegiali episcoporum.*
 - 1. Principium fundamentale.
 - 2. De Summi Pontificis muneris exercitio.
 - 3. De Consilio Apostolico constituendo.
- B) *De Dicasteriis Sedis Apostolicae.*
- C) *De Delegatis Apostolicis.*

Cap. III - *De episcoporum conferentiis.*

- 1. Principium fundamentale.
- 2. De conferentiae constitutione.
- 3. De conferentiae moderamine.
- 4. De conferentiae competentia.

Cap. IV - *De dioecesum ac provinciarum ecclesiasticarum congruenti circumscriptione.*

Cap. V - *De relationibus inter episcopos et presbyteros, praesertim parochos.*

Cap. VI - *De relationibus inter episcopos et religiosos.*

Appendix I - *De facultatibus episcoporum quae a Summo Pontifice reservantur.*

Appendix II - *De normis pro redactione C. I. Canonici.*

[*Subscripserunt etiam*] Ioannes, arch. coad. Belo Horizonte; Francisco Austregesilo Mesquita, bispo de Afogados da Ingazeira; José Lamartine Soares, ep. tit. Fussalensis; Cândido Padin, aux. Rio de Janeiro; Clemente José Carlos Isnard, ep. Neo-Friburgensis; Bernardo José Bueno Miele, ep. tit. Bararit.; José Thurler, bispo tit. de Capitoliade; David Picão, ep. tit. Tois; Walmor Battù Wichrowski, ep. tit. Felbes; Nivaldo Monte, aux. Aracaju; Walfrido Teixeira Vieira, ep. tit. Larandensis; Edmundo Luis Kunz, ep. tit. Tolemaide; Seraphim Fernandes de Araujo, ep. tit. Verinopol.; Aniger F. M. Melillo, ep. Piracicaba; Epaminondas Araujo, ep. Rui Barbosa.



12

EXC.MUS P. D. HERCULANUS VAN DER BURGT
Archiepiscopus Pontianakensis

Venerabiles Patres,

Nomine 30 episcoporum Indonesiae, haec quae sequuntur adnotare iuvat. *Cum plurima iam alio modo pluries a pluribus dicta sunt, breviter loquar.*¹

Nostro humili iudicio, iam in titulo huius cap. I videtur defectus in radice. Caput ...² etiam iuxta exc.mum relatorem « altiore gravitate materiae et consequentiarum inde manantium superat » (pag. 11 relationis).

Primariae autem sunt relationes inter episcopos et Summum Pontificem, quae relationes non tantum sunt theologicae sed certo certius etiam et fortasse praesertim debent esse practicae ...³.

Ergo titulus cap. I, ut etiam connexio huius schematis cum schemate *de Ecclesia* declaretur, sit: « De relationibus inter episcopos et Summum Pontificem ».

Ut autem haec relatio (inter episcopos et Summum Pontificem) sit actualis, vivens, vivifica et permanens, desideratur a multis Patribus (ut dicitur in schemate pag. 8, nota 5) *structura internationalis*.

Haec autem structura difficulter alio modo verificari potest, *hoc in tempore*,⁴ quam per quoddam organum, seu senatum seu collegium, cuius membra sunt electa, saltem pro maiore parte, a conferentiis episcoporum in toto mundo dispersorum ...⁵.

Rationes huius propositi evidentes sunt (etiam independenter a discussione circa collegialitatem corporis episcoporum *et independenter a meritis personalibus membrorum Curiae Romanae, quae agnoscere et laudare possimus*), rationes evidentes sunt⁶ pro iis qui serio et revera considerant evolutionem actualem societatis hodiernae et situationem Ecclesiae vel populi Dei in hac societate semper evolente. Rationes *inter alia*⁷:

1. Ut semper adsit relatio seu contactus actualis, vivens et permanentis inter caput et corpus, inter pastores et gregem ...⁸.

3. Ut verificantur verba Summi Pontificis Pauli VI die 21 septembris ...⁹ circa cooperationem inter Summum Pontificem et episcopos.

4. Ut verificantur verba Summi Pontificis feliciter regnantis die 29 septembris, et *etiam*¹⁰ ab exc.mo relatore allata in relatione ...¹¹, circa mutuum auxilium inter Summum Pontificem et episcopos in exercendo munere universali regiminis Ecclesiae.

5. Ut regimen Ecclesiae efficax fiat in circumstantiis et situationibus mundi hodierni.

6. Ut vox omnium hominum — christianorum et non christianorum — semper audiri possit et debeat Romae, in centro regiminis Ecclesiae, mediantibus pastoribus dispersis in mundo et cognoscentibus vocem omnium ovium.

7. Ut adimpleatur desiderium multorum Patrum etiam eorum, qui vivunt et laborant in « terris novis » et in « nationibus iunioribus » et qui repraesentant non parvam partem hominum, redemptorum a sanguine Christi.

8 et ultimo. Aliquod organum (Senatus) videtur instrumentum unicum — hoc in tempore — sanae decentralizationis et fortis unitatis.

*Ergo*¹² videtur in hoc cap. I, primo et fundamentaliter loquendum esse de relationibus *directis* inter Summum Pontificem et episcopos in regendo et pascendo gregem, per instituendum aliquod collegium supremum seu senatum Ecclesiae.

Hic senatus fortasse, licet provisorie, iam durante hoc Concilio constitui potest, ita ut pars (probabiliter non parva) materiarum, quae nunc Concilio proponuntur ab ipso senatu tractari possint et multi *ex nobis*¹³ non per longissimum tempus ab ovibus separantur, *cum periculo ut omnes romani fiant*.¹⁴

Praeter instituendum Consilium supremum supra dictum, necessaria manet internationalizatio Dicasteriorum Romanae Curiae ut in n. 5, pag. 7 schematis dicitur; *et quae*¹⁵ late intelligenda est pro omnibus functionibus et laboribus pro Ecclesia universa.

Pag. 7, lin. 6, post « Sacrorum Pastorum » addatur: « semper, iustitiae, caritatis et prudentiae causa, salvetur principium subsidiaritatis ».

Etiam rogatur adaptatio Instituti Nuntiaturae, Internuntiaturae, etc., circumstantiis huius temporis sicut iam pluries et a pluribus Patribus dictum est.

Alia nota scriptis additur huic interventioni. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ Non haesitamus dicere hoc in capite multa sunt quae placent, sed defectus est in ipso initio et quidem radice huius capituli. Clare dicit relator: « Sermo fit in hoc decreto de episcopis non quatenus sub respectu dogmatico... sed quatenus praediti sunt iurisdictione sua ad actum deducenda » (pag. 11, lin. 17) et bene referuntur decreta Pii VI circa iura episcoporum in ordine ad regimen, quae e mandato Christi et ex natura munieris non sunt completi et plene definita. Rogatur complementum ex iure ecclesiastico (Relatio pag. 12). Attamen. ² autem hoc. ³ E schemate de Ecclesia patet, quod haec relatio est *cardo* huius schematis. Quod etiam dicitur in quatuor propositionibus hebdomada elapsa Patribus propositis. ⁴ deest. ⁵ Membra huius collegii sta-



tutis temporibus cum Romano Pontifice tractant de quaestionibus principalioribus Ecclesiae. ⁶ deest. ⁷ aliquae tantum enumerantur et deficiente tempore non explicantur. ⁸ 2. Ut in actum ducatur collegialitas regiminis in Ecclesia seu cooperatio fructificans inter successores apostolorum. ⁹ 1963 et a relatore allata (pag. 14, lin. 10). ¹⁰ deest. ¹¹ pag. 14, linn. 26 ss. ¹² Conclusio. ¹³ pastores. ¹⁴ deest. ¹⁵ Haec internationalizatio.

Animadversiones additae:

Nomine 30 Ordinariorum Indonesiae.

Habetur defectus in ipsa interpretatione mumeris episcopalis uti practice fit in prooemio et parte prima cap. I (pag. 6) et quibusdam aliis locis. Dando enim episcopis « facultates » (quamvis ampliores), ad agenda quae iis propria potestate competunt, schema non tantum offensivum episcopis dici potest, in quantum eos reducit ad simplices administratores S. Sedis, sed etiam contradicere videtur doctrinam veram, durante hoc Concilio iterum atque iterum propositam variis verbis, scil. quod episcoporum residentialium potestas « qua nomine Christi, personaliter funguntur, est propria, ordinaria et immediata » (cf. schema const. dogm. *de Ecclesia*, pars I, pag. 31, lin. 9), « neque (ii) vicarii Romanorum Pontificum putandi sunt, quia potestatem gerunt sibi propriam » (l. c., lin. 14), « eorumque itaque potestas a supra et universalis potestate non eliditur... » (l. c., lin. 17).

Verbum enim « facultas » in iure (saltem sensu stricto) et etiam in communi usu loquendi et in stilo Curiae significat concessionem alicuius potestatis, quae per se accipienti non competit et ergo quamdam speciem privilegii praे se ferre videtur.

In animo non habeo fusius explicare tenorem ipsarum facultatum, tempus enim mihi deest. Forsan tamen rogare liceat: quid sentiendum de illa potestate propria, immediata et ordinaria, qua episcopus personaliter nomine Christi fungitur, quid sentiendum de ipso munere episcopi, successoris apostolorum, si ille pastor Ecclesiae sibi commissae Curiam Romanam adire debet ad petendam licentiam ordinandi suos proprios sacerdotes feria II loco Sabbati, vel ad petendam licentiam erigendi stationes Viae Crucis? Tali modo — etiam si facultates petitiae non negantur — potestas episcopi in risum vertitur! Ob rationes supra expositas proponimus ut in prooemio in pagina sexta, linea prima usque ad sextam verba « facultates... reservatas » deleantur et textus redigatur ut sequitur: « Censem Sacrosancta Synodus peropportunam atque animarum bono utilissimam rem se esse facturam si, salvis iuribus ac privilegiis orientalis Ecclesiae, episcopi in posterum habeant liberius et plenius exercitium potestatis et officii sui et reservationes ac restrictiones, hucusque ab Apostolica Sede vel patriarchis orientalibus sibi vindicatis, aboleantur ».

Loco tamen linn. 18-23 inclusive, (in pag. 6) scribentur sequentia: « Episcopi residentiales uti ordinarii et immediati pastores suarum dioecesis, iure communi habent omnem potestatem, quam aptum et expeditum eorum officii exercitium ex postulat ».

Deleantur ergo verba « sub primatu iurisdictionali Romani Pontificis explendum », quia de Primatu Summi Pontificis iam sufficienter dictum est in schema *de Ecclesia*, nec in Ecclesia catholica sunt qui hanc veritatem negant.

Etiam linea ultima « Quapropter... recensentur » abolita est, quia non facultates enumerari debent, sed econtra causae maiores, quas Summus Pontifex sibi reservare intendit propter bonum Ecclesiae commune.



EXC.MUS P. D. IGNATIUS ZIADÉ
Archiepiscopus Berytensis Maronitarum

Venerabiles Patres conciliares, Observatores et Auditores carissimi,

Circa cap. I schematis de *episcopis et dioecesum regimine*, duas animadversiones generales explanare exopto.

1. *De iure standi in Oecumenico Concilio.* Cum, per consecrationem episcopalem seu per sacramentalem characterem, episcoporum coaptatio ad collegium episcopale fiat, ac non per nominationem vel eorum electionem, omnes et soli episcopi consecrati, etiam titulares, habent ius standi in Concilio Oecumenico et suffragia ferendi deliberativa.

2. *De episcoporum potestate.* Loquitur textus schematis de amplianda facultate episcoporum. Non agitur de *facultate*, sed de vera *potestate* fundata in ipso sacramento ordinis episcopal. In initio, non sic fuit. Non dabantur episcopis ampliae vel minimae potestates. Episcopi erant, et sunt, veri apostolorum successores, veri vicarii Christi, veri pastores, veri doctores fidelium, veri gubernatores animarum. Numquam fuerunt vicarii Romani Pontificis nec eius delegati in pascendis ovibus. Sed per decursum temporis, eorum potestates reales minores fuerunt propter plures causas, praesertim propter tres causas:

a) *Propter leges generales.* Omnes fere leges Ecclesiae generales sunt, i. e. a Summo Pontifice vel a Conciliis generalibus latae. Quapropter non potest ab illis dispensare, nequidem in casu particulari, nisi legislator vel eius successor.

Attamen, hae leges generales necessariae sunt ad Ecclesiae universalis unitatem.

b) *Propter reservationes factas ab Apostolica Sede Romana et illae reservationes necessariae sunt ad bonum commune.*

c) *Propter nostras imbecillitates.* In multis quaestionibus, pusillus non grex sed pusillanimus pastor se refert ad supremam auctoritatem, etiam in minimis, quia nescit quid poterit, quid non poterit, et tunc responsio fit: « *Tibi concedimus facultatem pro hac vice, vel pro tribus annis* », et tunc fit lex pro toto orbe. Optaretur ut diceret: « *Praetor de minimis non curat!* ».

Propter has ...¹ causas aliasque, episcopus, vere pastor a iure divino cum potestate ordinaria et immediata in omnes fideles sui gregis, nequit: librum prohibitum legere vel custodire; nec Missam celebrare extra ec-



clesiam; nec Sanctissimum servare in proprio sacello; nec etiam permettere laico, membro Christi, templo Spiritus Sancti et sacerdoti spirituali, ut purificatoria, pallas et corporalia, prima ablutione purificit!

Nostris temporibus, episcopi nesciunt quid possint, quid non possint, in regimine animarum.

Quapropter concludo: Itaque humiliter propono tres emendationes:

1. Omnis episcopus consecratus, et quidem solus, est membrum Concilii Oecumenici cum potestate ferendi suffragia deliberativa.

2. Romanus Pontifex sibi reservat quasdam causas et quaestiones, aliasque vero determinatas, patriarchis, vel patriarchalibus Synodis ac conferentiis episcopalibus. Praeter casus reservatos, episcopi, in eorum dioecesis, libere agere possunt.

3. Episcopi residentiales, in casibus particularibus vel pro determinato tempore, a legibus generalibus dispensare possunt. Gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ omnes.

14

EXC.MUS P. D. AURELIUS DEL PINO GOMEZ
Episcopus Illerdensis

Em.me Praesul, venerabiles Patres conciliares,

Praemissis amplissimis laudibus a schemate *de episcopis ac de dioecesum regimine* promeritis, liceat mihi aliquas animadversiones adducere quibus ad eiusdem accuratiorem perfectionem concurrere intendimus.

In prima introductionis linea haec leguntur: « *Animarum salus, lex in Ecclesia Christi suprema* ». Si cum rigore theologicō et ascetico loqui velimus, meo humili iudicio, asserere debemus legem supremam in Ecclesia Christi esse gloriam Dei, quam per sanctitatem curamus et ex qua intime salus animarum consequitur, ut luculenter ostendit S. Ignatius de Loyola: *Homo conditus est ad Deum laudandum, reverentiam ipsi praestandam et serviendum, et, hoc mediante, ad animam suam salvandam.*

Quae nunc humiliter dicam pluribus diebus in Dei praesentia cogitavi. Curia Romana permagnis laudationibus honoranda est. Ratione officiorum in Curia episcopali a venerabilibus et peramantissimis episcopis mihi commissorum per triginta annos iuges relationes habui cum Congregationibus Romanis, et ex toto corde confiteri debo semper in

dies auctam fuisse meam profundam gratitudinem et sinceram admirationem erga praedictas Congregationes, propter suum fraternum amorem et mirabilem aptitudinem. Hi sensus roborti fuerunt usque ad hodiernam diem. Simili modo audivi loqui perplures episcopos Hispaniae. Et, si de hac re reflexive cogitemus, ita debet contingere, siquidem Congregationes Romanae constituunt instrumentum gubernii Romani Pontificis, qui eis utitur in regimine universalis Ecclesiae, et propterea in his Dicasteriis eminent viri egregii sanctitate, sapientia, prudentia et caritate, inter quos inventi fuerunt qui postea ad Supremum Pontificatum evecti sunt ut Ecclesiam sanctam perlustrarent suis insignibus virtutibus et actionibus. Nec tacendum est hos perinsignes viros, qui Curiam Romanam perlustrant, ex omnibus nationibus esse collectos. Perspicere debemus quidquid de Sacra Curia Romana minus congrue asseritur, aliqualiter de ipso Romano Pontifice dici. Prae oculis hoc habeamus ut permagna altitudine spirituali in his procedamus, quin obliviscamur ineffabilem modum quo Providentia divina in his exercetur.

Stante circa hanc rem perbenevola dispositione ab amantissimo Pontifice nostro Paulo VI solemniter expressa, forsitan prudentius esset suaे paternali providentiae relinquere quae ad hoc caput pertinent, cum humili expositione desideriorum nostrorum quae plenissime suo superiori iudicio subiicimus. Valde periculose est intendere leges ferre in his quae ad exercitium plenae et supremae potestatis Romani Pontificis se referunt. Omnes episcopi congregati, in his nihil possunt praeter humilem et filialem rogationem.

N. 5 schematis haec dicuntur: « (Episcopi in Ss. Congregationum consilium cooptandi). Nonnulli episcopi diversarum nationum, a conferentia episcopali nationali designandi, ab Apostolica Sede nominentur membra vel consultores Ss. Romanae Curiae Congregationum a quibus, statis temporibus, convocentur ad commune bonum magis promovendum et ad communia pericula efficacius avertenda ». Haec non valde mihi placent. Dignius et efficacius esset si ipsa Sedes Apostolica per Nuntios Apostolicos inquireret qui sunt¹ aptiores viri ad munera praedicta melius perfungenda et determinaret quo pacto viri electi in Curiae laboribus interventuri sunt.

Sunt qui ita extollunt collegialitatem episcoporum et potestatem episcopalem, quae ex ea profluit, ut episcopi in plurimis aequiparentur Romano Pontifici. Aliqui qui hesterna die locuti sunt videntur asserere plenitudinem potestatis pro episcopis in sua dioecesi. Hoc est falsum et erroneum, siquidem potestas episcoporum est ordinaria, immediata et propria, sed subiecta potestati Romani Pontificis, quae est suprema et plena.

Aliud lugendum consectarium collegialitatis, ut aliquibus proponitur, est suffocatio potestatis Romani Pontificis, quae secundum ipsos semper intra collegium episcoporum exerceri debet, non autem independenter ab illo, quod penitus erroneum est. Potestas Pontificis *est suprema*,² est supra potestatem omnium episcoporum simul sumptorum, et ideo indoles huius potestatis postulat ut supra potestatem episcoporum habitualiter exerceatur. Sapienti et paternali iudicio Romani Pontificis relinquatur quando collegialiter exercenda est, ut accidit in convocatione et celebratione Concilii Oecumenici. Utique Romanus Pontifex et episcopi commendatam habent excelsam missionem evangelizandi, sanctificandi et regendi totam Ecclesiam et universum mundum, et ex hac missione enascuntur ineffabiles relationes inter ipsos, quae in saeculorum decursu plasmaverunt mirabili plasmatione, quae fluit ex plenitudine et suprematia Romani Pontificis et ex potestate ordinaria, immediata et propria episcoporum, potestati Pontificiae subiecta. Resonare non desinant in auribus nostris illa mirabilia verba Domini Nostri Iesu Christi: « Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni caelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis... » ...³. « Pasce agnos meos, ... pasce oves meas... » ...⁴. « Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos » ...⁵. Et nos omnes his ineffabilibus verbis permoti subiiciamus hanc collegialitatis quaestionem, obscuritate et angoribus plenam, paternali sapientiae et benevolentiae per amantissimi Pontificis nostri Pauli VI. Non obliviscamur adhuc non esse inventam accuratam collegialitatis definitionem, quod est praenotandum primum et necessarium ad hanc quaestionem solvendam modo claro et sereno. Prae oculis habeamus indolem et significationem collegii in humanis institutionibus, nempe in collegio medicorum, advocateorum, et ita porro; et videbimus perpaucitatem huiusmodi vitae collegialis, qua non obstante, medici suam professionem exercent fere totaliter independenter a collegio, et similiter advocati.

Non defuerunt per insigne Patres qui in congregazione heri celebrata adduxerunt aliqua S. Scripturae testimonia non magna vi praedita pro collegialitate et per insisto in eo quod praedicta testimonia sumantur prout in S. Scriptura inveniuntur, praescindendo ab interpretatione ipsis data ab Ecclesia in saeculorum decursu, quod erroneum est, nam Ecclesia docens habet supernaturalem assistentiam ad authenticam...⁶

In *textu scripto tradito*: ¹ sint. ² deest. ³ et quodcumque solveris super terram erit solutum et in caelis » (*Mt. 16, 18-19*). ⁴ (*Io. 21, 15-17*).
⁵ (*Lc. 22, 32*). ⁶ interpretationem SS. Scripturarum, non tantum in solemni-



bus definitionibus, sed etiam magisterio ordinario, quo Ecclesia discens etiam infallibiliter docetur circa fidei et morum veritates. Etiam exauditae sunt, non sine stupore, in ultima sessione perplures petitiones missae ex aula conciliari ad Romanum Pontificem et Congregationes Romanas. Venerabiles Patres, simus plenissime convicti et indicibili benevolentia peramantissimi Pontificis nostri, qui tantum desiderat necessitates nostras agnoscere, ut illas largissimo modo satisfaciat, et non dubitemus Ss.mum Patrem habere peraptissima media ut praedictas necessitates agnoscat et his mediis perinstanter et diligentissime uti. Ignoscatis mihi si humiliter dicam nos omnes habere in nostra potestate media efficacissima ad obtinendam sanctitatem nostrarum dioecesium et paroeciarum. Haec media reducuntur ad imitationem D. n. Iesu Christi crucifixi, sicut imitati sunt Petrus et ceteri apostoli et omnes episcopi qui eminuerunt in apostolatu et plenitudine pastorali. O quam pergratum esset Ss.mae Trinitati et peramantissimo Pontifici nostro compromissum contrahere inter nos apud ipsum Deum aedicandi nostras dioeceses accurata sanctitate et perdiligenti et abnegato apostolatu omnibus diebus vitae nostrae.

Moderator: Exc.me Domine, tempus exactum est!

15

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS CONSTANTINUS MAZZIERI
Episcopus Ndolaënsis

Em.mi Moderatores, venerabiles Fratres,

Saepe saepius audivimus in hac aula primarium finem huius Concilii pastoralem esse: ad hoc, liceat mihi submittere sequentes practicas animadversiones.

Puto valde utile esset si episcopis, in missionibus degentibus, facultas concederetur « Dispensandi in favorem fidei », saltem in urgentioribus casibus, in matrimoniiis valide contractis a *persona baptizata sed non catholica cum persona pagana*.

In missionibus multae animae ad Christi ovile adducuntur per applicationem « Privilegii Paulini »; sed hoc Privilegium locum amplius non habet quando una pars baptizata fuerat ante matrimonium in aliqua Ecclesia Christiana *non-catholica*. Tunc recurrendum est ad Privilegium « in favorem fidei » vel, ut aiunt, ad « Privilegium Petrinum » quod solus Summus Pontifex concedere solet.

Iamvero, viam salutis non pauci invenire possent si haec facultas, saltem quibusdam in casibus, episcopis extenderetur, propter sequentes rationes:

1. In multis missionum locis missionarii non-catholici opus evange-



lizandi indigenas inceperunt longo tempore antequam missionarii catholici illuc pervenirent, et, consequenter, multos pueros et puellas baptizaverunt.

2. De validitate baptismi a Protestantibus collati videtur dubitandum non esse cum debita materia et forma usi sint et intentionem habuerint faciendi quidquid Salvator noster faciendum voluit ad vitam aeternam consequendam. Ex altera parte Salvator noster per facilem voluit collationem Baptismi qui, in casu necessitatis, a quacumque persona administrari potest.

3. Non-catholicae denominations christiana, in genere, parum dicunt de indissolubilitate matrimonii christiani et parvi pendunt divor-tium ad quod indigenae et natura et traditione sua sunt quam maxime inclinati ...¹.

Moderator: Exc.me Domine, in pag. 27, in nota, dicitur quod de quaestionibus, quae agunt de facultatibus concedendis episcopis etiam in locis missionum, « nulla fiet disceptatio in congregationibus generalibus, sed unusquisque Pater conciliaris libere poterit animadversiones suas scripto facere easque tradere secretario generali Concilii ».

Ideoque, facultas, quam tu proponis pro locis missionum de illa dispensatione, dissolutione matrimonii in favorem fidei, scripto velis tra-dere secretariatui generali.

Orator: Gratias.

In textu scripto tradito: ¹ 4. Insuper praetereundum non est quod apud indigenas puellarum matrimonia a parentibus, ut plurimum, determinantur, et filiae parum vel nihil habent dicendum in hac materia. Hinc multa habentur divortia praesertim in matrimoniis a christianis non catholicis cum paganis contractis.

5. Tales christiani non catholici divortiati desiderant frequenter catholicam ingredi Ecclesiam et novas inire nuptias cum persona catholica; sed tunc venit difficultas: primum matrimonium ab ipsis contractum dissolvi nequit per Privilegium Paulinum quia una pars christiana est; unica via est recursus ad S. Sedem pro « dispensatione in favorem fidei ». Haec solutio facilis videtur, sed in re non est tam facilis. Recursus ad S. Sedem longum requirit tempus et aliquando dispen-satio urget, specie si agitur de convalidando matrimonio extra Ecclesiam con-tracto a personis in mala valetudine versantibus. Non semel occurrit quod dispen-satio a S. Sede concessa ad nostra remota loca pervenit quando persona quae hac dispensatione indigebat iam defuncta erat.

6. In istis casibus christiani extra Ecclesiam catholicam baptizati sunt in peiore conditione quam ipsi pagani; pagani enim possunt Privilegio Paulino frui, et christiani non catholici nequeunt; quod aliquantulum incongruens videtur.

Venerabiles Patres, quomodo haec facultas extendi possit episcopis in locis missionum degentibus, videant periti; sed nullum adest dubium quod si haec fa-



cultas extenderetur episcopis, non pauci faciliorem invenire possent viam ad aeternam salutem. Valde ergo opportunum videtur si cap. I huius schematis alias adderetur articulus ad hunc finem. Tandem aliquando Sacraenta sunt propter homines et salus animarum esse debet suprema lex.

16

EXC.MUS P. D. JOSEPH ATTIPETTY

Archiepiscopus Verapolitanus

Venerabiles Patres,

Mihi liceat grato ac libentissimo animo hoc schema salutare quo Patres intendunt episcorum potestatem asserere, roborare ac vindicare, ad animarum salutem quae *iuxta praedictum effatum lex in Ecclesia Christi semper suprema fuit, est et deberet esse.*¹ Aliquas vero animadversiones, motus quidem eodem principio animarum salutis, opportunum censeo *heic subscribere.*²

I. Vehementer miratus sum de silentio quoad nominationem episcorum. Ut episcopi dignitas magis supernaturalis appareat et roboretur, humiliter propono ut caput addatur de ratione designandi episcopos. In huiusmodi capite deberent asseri:

1. Principium fundamentale potestatis Romani Pontificis libere designandi episcopos, salvis iuribus et privilegiis *orientalibus Ecclesiis.*³

2. *Exigentiae huius legis supremae salutis animarum quibus Sancta Oecumenica⁴ Synodus desiderat ut cetera ...⁵ iura et privilegia nominandi aut praesentandi promovendos⁶ ad episcopatum cessent.*

3. Invitatio nomine Sacrae Synodi ad Supremos Moderatores nationum, quibus huiusmodi ius vel privilegium est agnatum ut *ei*⁷ renuntient.

4. Normae ad idoneitatem comprobandum.

5. Declaratio Sacrae Synodi *iuxta quam*⁸ ad officium episcopale possunt vocari sacerdotes utriusque cleri.

6. Obligatio acceptandi officium ex caritate erga animas.

7. Aetas 30 annorum non videtur sufficiens ad tantum officium cum ad alia officia et munera minora ius requirat aetatem provectionem. Puto saltem 40 annos requiri ut promovendus habeat maturitatem psychologicam, praxim sacerdotalem et pastoralem necessariam. Plures *ad sunt rationes ad hanc mutationem iuris;*⁹ inter alias ne officium episcopale videatur minoris gravitatis quam munus confessarii religiosarum, magistri novitiorum, etc., et secundo ne formatio personalis promo-

vendi manca restet per vitam ex assumptione ad episcopatum. *Aliae sunt*¹⁰ rationes spirituales non spernendae.

II. Quoad facultates de quibus in n. 3 collato cum Appendice priori, non puto opportunum *hic afferre quia iam a Moderatore iussio data est*.¹¹

III. ...¹² De praxi Ss. Congregationum relate ad episcopos sequentia animadverto: Principium fundamentale compleri debet declarando Ss. Congregationibus onus incumbere, ex auctoritate Romani Pontificis et nomine ipsius, legum ecclesiasticarum observantiam urgendi ubique et iura *subiectiva*¹³ personarum sive physicarum sive moralium tueri ...¹⁴ quando huiusmodi iura violata censemur a Superioribus.

Prout termini decreti dantur nunc¹⁵: « sive episcoporum auctoritatem roborando eorumque dignitatem vindicando etc. ... », *concluderetur*¹⁶ mentem Concilii *debere*¹⁷ esse tantummodo defendere iura episcoporum, cum iustitia exigat ut in Ecclesia aliorum quoque iura et dignitas — sacerdotum, religiosorum, laicorum, personarum moralium — *salva et tuta semper sint*.¹⁸

De n. 5 nolo loqui quia iam em. mus card. Ruffini observavit: *solummodo, post determinationem iurium et potestatum collegii episcopalium, possumus de hac re agere*.¹⁹ Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ lex suprema est in Ecclesia. ² subiungere.
³ orientalis Ecclesiae. ⁴ Eadem ratione salutis animarum procurandae, Sacro-sancta. ⁵ omnia. ⁶ candidatos. ⁷ eidem sponte. ⁸ asserens quod.
⁹ rationes hanc mutationem suadent. ¹⁰ Sunt insuper. ¹¹ concedere episcopis eas de quibus in n. 5 (pag. 29, linn. 10 ss., pag. 30), scil. ingrediendi in clausuram papalem et condonandi dotem religiosarum. Item, considero inopportunum concedere episcopo facultatem dimittendi religiosos sodales e dioecesi (n. 10, pag. 30, linn. 14 ss.); adsunt in Iure remedia sat efficacia ad vitanda mala quae ex praesentia huiusmodi religiosi provenire possunt quin huiusmodi facultas abnormis concedatur. Quoad facultatem dispensandi super defectum aetatis ordinandorum (pag. 31, linn. 8-9) puto eam non esse necessariam, quia tales dispensationes non deberent concedi, cum aetas ad presbyteratum maior oporteat exigi.
¹² Ad n. 4, pag. 7. ¹³ etiam singularum. ¹⁴ si. ¹⁵ Ex terminis decreti uti iacent: ¹⁶ videretur. ¹⁷ deest. ¹⁸ tuta semper et tecta maneant.
¹⁹ 4. Circa n. 6 (pag. 9) notare vellem quod translatio episcoporum ab una ad aliam dioecesim gravibus incommodis et perturbationibus in administratione ansam dat; unde optarem ut tamquam principium assumatur episcopum in eadem sede per vitam mansurum, nisi agatur de promotione ad sedem primatiale nationis vel regionis, vel ad cardinalatum.

5. Ad n. 16 (pag. 11) dicerem « ingravescensem aetatem » non considerandam esse causam sufficientem ad renunciationem ab officio episcopali urgendam, venerabilis figura pontificis et patris, meritis et annis pleni, est vere thesaurus spiritualis dioecesis. Praeterea, illa mystica matrimonialis unio episcopi cum sua Ecclesia, morte tantum solvenda, maximum valorem habet in vita dioecesana.



In eodem n. 16, § 2 (linn. 31 s.) opportunum censeo addere clausulam attinentem ad episcopos religiosos renunciantes ab officio, ita ut privatio vocis activae et passivae (de qua C.I.C., can. 629; C.I.C.O., c. 178) tollatur. Rationes enim, quae hanc privationem olim suadebant, hodie, mutatis conditionibus psychologicis quoad munera et adepta maiori maturitate quoad iura electionis etc., non amplius urgent. Dum consilia et cooperatio activa episcopi ad vitam regularem revertentis multum iuvare possunt in negotiis religionis, praesertim quantum ad opera apostolica religionis.

6. In cap. III de nationali episcoporum coetu seu conferentia, posset utiliter addi aliquid de facultate constituendi conferentias regionales episcoporum in iis nationibus vel unitatibus politicis quae, ob nimiam extensionem et varietatem conditionum, diversa problemata praesentant in diversis suis partibus. In n. 27 verbum est de regionibus ecclesiasticis constituendis. Coetus vel conferentiae episcoporum regionales deberent considerari tamquam partes conferentiae nationalis, et ita constitui ut nullo modo noceat unitati conferentiae nationalis. Huiusmodi coetus regionales — nomen forsan aliud posset inveniri ad vitandas confusiones — deberet regi statutis communibus a coetu nationali episcoporum paratis, cum additionibus ab ipso coetu regionali factis et a coetu nationali probandis.

7. In n. 30 de sedis episcopalibus loco, valde utiliter ad officii episcopalis dignitatem roborandam posset dici: « nec amplius in eadem civitate sedes episcopales plurium episcoporum constituantur, sed opportuna distantia inter diversas sedes servetur ». Hoc deberet applicari etiam dioecesis diversi ritus, vitando quantum possibile est saltem in futuro residentiali titulum identicum pro pluribus episcopis.

17

EXC.MUS P. D. PAULUS BARRACHINA ESTEVAN
Episcopus Oriolensis-Lucentinus

Venerabiles Patres et carissimi Observatores et Auditores,

1. Lacunam gravem esse puto, silere hoc in schemate de fundamento theologico suo, *ut dicit Sua Beatitudo Petrus XVI, sed alia praeterea ratione*.¹ Cum agatur enim de principiis vel normis generalibus ad futurum ius condendum, novum scil., valde iuvaret ut tamquam principia sic dicta dogmatica iuris canonici sumerentur conclusiones theologicae, in schemate de Ecclesia cap. II expositae. Ita enim iter futuri iuris perspicue et accurate² apparebit.

Praeterea, introductio huius schematis est nimis generica, valeret et pro hoc schemate et pro *de cura animarum*, sub quo dupli aspectu videtur esse confectum. Sed neque suum scopum consequitur: quia non sufficienter fundamentum constituit totius tractationis eiusque divisionis in capita, et rem pastoralem et iuridicam confuse innuit.

2. Haec est prima occasio ut loquamur in aula conciliari, contemplantes, ut ita dicam, Ecclesiam localem vel dioecesim. Quia, quamvis

multa dicta fuerint de muneribus episcopalibus in tractatu *de Ecclesia*, non satis relate ad propriam Ecclesiam enunciata sunt. Cum igitur nunc agamus de dioecesum regimine, necesse est offerre *primo visionem* accuratam Ecclesiae localis, et episcopi, capituli ipsius Ecclesiae. Unde quae in n. 17 schematis *de Ecclesia* dicta sunt, in pag. 28 ...³ etc. (trado secretariatui generali), simul cum illis quae sequuntur componere prooemium debent. Et haec, considerando episcopum et dioecesim sive ad intra sive ad extra.

Haec visio Ecclesiae localis non casu hic petitur; sed proprium locum habet suum. Cum iam actum sit de Ecclesia universalis, localis debet sicuti splendescere, utpote imago illius. Cum Corpus Christi mysticum, in sua natura, iam nobis manifestum sit, nunc debemus in Ecclesia locali quaerere eius realizationem.

Praeterea, tractatio vel visio Ecclesiae localis *et episcopi capituli*⁴ totum schema de regimine et de cura animarum in luce sua poneret.

S. Paulus *concepit*⁵ Ecclesiam ut participationem plenitudinis Christi, a quo complementum et omnia accipit (ad *Eph.* 1, 23). Ecclesia est sicuti structura essentialis, quae non intelligitur absque amore et caritate. Structura extensiva et intensiva, universalis et particularis ...⁶. Scil. Ecclesia nequit concipi nisi ut una, sancta, catholica et apostolica. Quae notae explicant Ecclesiam in suo esse constitutivo, sive universalis, sive particulari seu dioecesano. Immo ad omnia munera et relationes stabiliendas hae notae sunt sicuti cardo vel fundamentum.

Et revera ex eo quod episcopus sit membrum collegii, ex eo quod consecratus fuit, nequit individualiter et sine coniunctione cum fratribus suis *episcopus*⁷ esse. Omnes enim aedificant unam Ecclesiam Christi, ut dictum est. Ideo ex linea apostolicatis tota Ecclesia universalis coniungitur cum Ecclesia particulari et viceversa. Ideo S. Paulus, ad Ephesios loquens, ipsos fundari dicit super apostolos. Ideo ipse cum ipsis apostolis communicat. Et epistolas suas etiam ad Ecclesias a se non fundatas mittit, ut ad Colossenses et ad Romanos.

Immo, ex eo quod episcopus sit in linea apostolicatis, cum ipso et per ipsum tota Ecclesia particularis aperitur ad participationem solidalem in missione illa *universalis*⁸ Ecclesiae et tenetur tum *ad dilatandum Evangelium tum ad sollicitudinem*⁹ omnium Ecclesiarum. Hanc missiōnem ita intellexit S. Paulus, circa universalem Ecclesiam, qua de causa Ecclesias separatas et autonomas, criteriis nationalibus imbutas, prorsus reiicit ...¹⁰.

De his quaestionibus schema nihil dicit, postquam de hac duplii sollicitudine in schemate *de Ecclesia* locuti sumus. Ideo necessarium puto hanc visionem praestare.

Immo, de Curia Romana *nonnulla iam dicta sunt*,¹¹ tamquam instrumentum summae potestatis Romani Pontificis et ut instrumentum collegii episcopalis. Sed affirmo: de Curia Romana tamquam de instrumento collegii episcopalis non posse nos recte loqui, nisi prius, *notione magis vel minus stricta, declarata et probata*,¹² relationes iuridicae convenientes stabiliantur et probentur inter hunc collegium et Romanum Pontificem, *Primum*,¹³ vel Vicarium Christi.

3. Sed cum agatur de regimine dioecesis, primum officium episcopi puto esse: curare et procurare totis viribus unitatem in sua dioecesi. Dioecesis sine unitate divisa est, non est organizata, non prosequitur finem collaboratione omnium. Non est revera dioecesis.

Quapropter episcopus qui est caput et fundamentum unitatis suae Ecclesiae, sicut Romanus Pontifex Ecclesiae universalis, debet:

a) personas et institutiones omnes integrare in labore suae dioeceseos: sacerdotes scil. saeculares et regulares, qui aliquem apostolatum fidelium operam dant, et societas et associationes ...¹⁴ apostolicas cuiuscumque generis et conditionis. Ideo hic est locus proprius tractationis, non illius in schemate *de cura animarum*. Episcopus debet dirigere et trahere ad se omnes apostolos, non e converso;

b) consequenter inquirere debet vocationem uniuscuiusque ad utilitatem Ecclesiae;

c) omnia fiant veritate et caritate.

De hac unitate non tantum locutus est S. Paulus, praedicator Corporis mystici, sed *in*¹⁵ unaquaque Ecclesia ab ipsis creatis multum laboravit pro hac unitate consequenda et perficienda, *ut passim videre est in suis epistolis*.¹⁶

Quibus omnibus perpensis, necessarium puto agere hic de toto complexu organizativo dioecesis. Curat schema, et bene quidem, de Curia Romana; sed oblivioni mandare non possumus nostram Curiam dioecesanam, de cuius necessitate omnes nos certi sumus et sacerdotes nostri in exspectatione manent. Et ordinare debemus ita, ut totam pastoralem et apostolatum dirigat sub nostro ductu. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² explicitius. ³ linn. 5-8, in pag. 26.
⁴ deest. ⁵ concipit. ⁶ pro omnibus et in omnibus praesens. ⁷ episcopis. ⁸ universalis. ⁹ dilatandi Evangelium tum sollicitudinis. ¹⁰ Et ideo quamvis epistolas ad ecclesias particulares dirigat, simul de omnibus sanctis aliarum Ecclesiarum mentionem facit. ¹¹ actum est iam, ni fallor. ¹² supposito iure divino ipsius collegii. ¹³ caput totius Ecclesiae. ¹⁴ ad. ¹⁵ deest. ¹⁶ deest.



EXC.MUS P. D. EDUARDUS MASON

Episcopus tit. Rusicadensis, vic. ap. de « El Obeid »

Patres venerandi,

Pauca dicam de praxi Curiae Romanae relate ad episcopos. Ex mea personali experientia in episcopatu, declarare possum, tuta conscientia, me semper invenisse in Curia Romana vel validum auxilium in difficultibus aut saltem fraternalm comprehensionem et morale adiumentum in rebus adversis. Item affirmare possum de Legatis a Papa missis in adiutorium episcoporum praesertim in regionibus missionum.

Quapropter vellem hic publice gratias pandere tum isti quam illis eorum auxilium grato animo memorando.

Quod Curia Romana indigeat « aggiornamento » iam declaratum est a Summo Pontifice Paulo VI, feliciter regnante; omnes nos indigemus « aggiornamento », et si aliquis se putat nihil indigere, hic maiore laborat indigentia.

Ista mutatio tamen debet esse in natura evolutionis cum progressu velut superaedificatio in augmentum Corporis Christi.

Ista evolutio, mihi videtur, bene perfici potest ex dupli elemento: ex *generalizatione* iam memorata a Summo Pontifice, et ex *provisione* ut queat expeditiori modo agere ne sit nimis aeterna!

Meminisse quoque iuvabit duo sequentia:

1. Curiam Romanam esse organum Summi Pontificis in regimine totius Ecclesiae ideoque ab omnibus audiendam tamquam vocem Supremi Pastoris;

2. Curiam Romanam non esse tantum utile instrumentum regiminis Ecclesiae sed valde necessarium maxime temporibus nostris cum inter homines ideae nationales obsolescant dum associationes continentales vel etiam globales surgunt. Nos, in Ecclesia catholica, iam possidemus regimen globale, quod prudenter et paterne exercetur. Caveamus igitur ne isti quomodocumque noceamus.

Quod attinet ad statum patriarcharum in Ecclesia catholica (*catholicam* dicam non *latinam*), puto quod vos omnes, Patres venerabiles, istam tam antiquam et honore dignam ecclesiasticam institutionem veneramini sicut archiepiscopatum et collegium cardinalium. Tamen et ipsa indigebit fortasse « aggiornamento ». Si quae autem sint quaestiones solvendae suggero ut hae per commissionem specialem investigentur et solutio provideatur in spiritu veritatis et caritatis.



Concludo pauca dicendo de facultatibus episcoporum. Fortasse utile nobis erit si non tantum quaeramus augere facultates in exercitio regiminis pastoralis sed eodem tempore relinquamus alias facultates quibus episcopi uti possunt, e. g. usum Cappae magnae cum cauda, et titulum Excellentiae: quodnam nomen melius quam *Patris* vel *Pastoris*? Dixi.

Moderator: Proxima congregatio generalis habebitur crastina die, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.